






Galeni
1556





















ARCHANGE-
LI PICCOLHOMINI
Ferrarienſis, in librum Galeni de humoribus, comẽmtarij.

Ad Michaelem Turrianum Comitem, ac Cenetenſem Epiſcopum.



PARISIIS.
Apud Bernardum Turriſianum, via Iacobea, in Aldina Bibliotheca.

1556.

CVM PRIVILEGIO.

Extrait du priuilege du Roy




L a pleu au Roy nostre souuerain Seigneur, permettre & donner priuilege à Bernard Turrisiã marchant libraire de paris d'imprimer ou faire imprimer vẽdre & distribuer par tel, que bon lu y semblera, vn liure intitulé, *Archangeli Piccolhomini, Ferrariensis, in librum Galeni de humoribus, commentarij*. Et defenses à tous autres Libraires & Imprimeurs de ce Royaulme de non imprimer, ne faire Imprimer, vendre ne distribuer iceluy liure, sans le vouloir & consentement dudit Bernard, iusques à six ans cõsecutifz, à commencer du datte de la prumiere impression, sur peine de confiscation desdits liures, & d'amẽde arbitraire: comme plus à plein est specifié en iceluy priuilege. Donne à paris le 24. iour de Aoust Lan de grace M. D. LV.

Signé

De launay

REVEREND. ET ILLVstris. Comiti, Michaeli Turriano, Episcopo Cenetensi, Archangelus Piccolhominus, Ferrariensis. S. P. D.



Nihil est veritate, aut præstantius, aut diuinius (Clarissime Pontifex) nihilque ipsis hominibus ea, aut charius, deberet esse, aut amabilius. Nam quicunque verè sapientiæ amatores fuerunt, eam veluti finem quendã optimum, & præstantissimum propositam habuerunt: in quem perpetuò præclaras omnes, & dignitatis plenas animi cogitationes, dirigerent. Veritatis autem duo sunt genera, ex duplici rerum genere constituta. Alia est enim earum rerum quæ mente apprehenduntur, alia earum, quæ à nobis aguntur: Veritas autem rerum agendarum, cum à multis aliis, tum vel maximè ab adulatoribus quotidiè funditus tollitur. Nam cum veritatis natura & essentia in hoc potissimum posita esse videatur, vt mentis notio sit omnino similis ei rei, cuius est illa notio, adulatores verò mentis intelligentiam ac notionem omnem in hominibus deprauatam efficiant, siquidem conentur illis hominibus, quibus cum vnà paulò familiarius versantur, persuadere, omnium eos esse optimos, cum mille vitiorum illi sint generibus inquinati: aut doctissimos, cum rerum omnium rudes atque ignaros se præbeant, illud profectò perspicuum est, funestã eos esse pestem, & nefariam perniciem veritatis earum rerum, quæ ad hominum vtilitates, & opportunitates, & vitam deni-

que omnem agendam spectant. Itaque Diogenes interrogatus aliquando, quæ bestia morsum haberet nocentissimum, præclarè sanè respondit: si de feris rogas, obtrectator: si de cicuribus, adulator. Adulatorum autem tanta hac nostra tempestate, non solum est, sed etiam veluti floret multitudo, cum principibus, & hisce ferè omnibus, qui maximis circunfluunt copiis, adulationes summoperè placeant, vt os mihi occlusum esse videatur, ne de tuis amplissimis virtutibus, ornatissime Pontifex, atque summis laudibus dicere pro dignitate quicquam possim: Id quod tamen faciunt ij, qui opus aliquod consecrant, ne temerè illud, & inconsultò dedicare videantur. Si enim eas vt par esset, oratione persequi vellem, certè & in adulatoris suspicionem incurrere videri possem, & nullum vnquam oratio mea exitum, finemq; reperiret. Quare illis omissis, melius est, vt consilij institutiq; mei rationem exponam. Itaque cum in eum Galeni de Humoribus librum incidissem, qui ad hanc vsque nostram ætatem latuit, quiq; tantoperè à doctissimis viris desideratus est, eumq; legissem atque perlegissem, dignissimum esse iudicaui, qui ad nostrorum hominum cognitionem perueniret, vt qui absolutissimam de humoribus disciplinam, paucissimis comprehensam, contineat. Ob eamq; causam eum de græco in latinum conuerti, atque etiam commentariis aliquid eidem adhibere luminis atque splendoris sum conatus. Quibus perfectis, cum mecum cogitarem, cuinam, qui laborum meorum patrocinium susciperet, hoc opus dedicarem, tu mihi primus omnium occurristi. Quod non fortuitò, neque temerè factum est, sed consilio & ratione prouisum. Nam cũ munere legationis apud Henricum christianissimum Gallorum regem, à summo Pontifice Paulo tertio missus, tanta fide, tanta animi æ-

quitate & constantia, tantis studiis, tanta denique diligentia, pro grauißimis Ecclesiæ Catholicæ causis, functus esses, vt exteræ nationes omnes incredibilem prudentiam tuam admirarentur, & Gallia præsertim, quæ tota te æquißimo animo vidit, & antè quàm videret, appetiuit: quandiu te habuit, omni officio prosecuta est: abeunte te, ingemuit, nõ ob aliam certè causam, quàm quòd antè quàm te videret, de tuis amplißimis virtutibus audierat: quas cum in te spectaret, ac perspiceret, lætabatur: cũ iis se priuari tuo abitu sentiret, dolebat: Cùm (inquã) legationis munus obiuisses, & à summo Põtifice, qui præsentia tua carere non poterat, reuocatus, in Italiam tibi esset redeundum, non rectà redire voluisti, sed vt varia diuersarum & nationum, & gentium, & morum inspectione animaduersioneq́ maximam prudentiam tuam augeres, Aquitaniam & reliquas Galliæ partes omnes diligentißimè tibi perlustrandas censuisti. Cumq́ ego in præclaro vrbis Burdegalensis Gymnasio philosophiam publicè profiterer, & tu eò venisses, meq́ hominem Italum in ea regione philosophiam docentem audiuisses, singulari tu quadã, & inaudita humanitate, me antea tibi ignotum, videre voluisti, tuamq́ operam, si qua in re opus esset, humanißimè obtulisti. Quæ res vna fecit, vt benignitatis, humanitatisq́, ac cæterarum virtutum tuarum omnium simulacrum quoddam perpetuum, altißimis radicibus in animo meo impressum, & veluti insculptum, semper remanserit. Quod, atque etiam perpetuam meam in te fidem atque obseruantiam, officio aliquo patefacere sæpenumero decreui, verùm quotidianis prælectionibus occupatus, id quod mirificè cupiebam, ad hoc vsque tempus præstare non potui. Atque hæc est vna causa (humanißime Pontifex) quæ me impulit, vt

ij mei labores in tuo nomine apparerent. Taceo alias plerasque, quæ idem effecerunt: taceo (inquam) generis tui nobilitatem: atqui dicere possem maiores tuos, Mediolani, amplißimæ ciuitatis, dominos olim, ac principes fuisse: taceo singulas virtutes tuas, & clementiã præsertim: qua sic instructus atq; ornatus es, vt inimicos tuos serena frõte, clementiáq; animo exceperis, pro quibus, omnes, vel Regem ipsum, cæterosq; aulæ principes vehementer rogare, non solum tibi non fuit molestum, sed etiam periucundum: taceo præclarißimum virtutum tuarum testimonium Paulum quartum, Pontificem Max. sanctisimum virum, in quo cum sit cumulus virtutum omnium, summoque valeat iudicio, te à legationis Perusinæ munere reuocare, atque in te vno acquiescens, suis rebus omnibus præesse, voluit. Quod mehercule tantus vir fecisset nũquam, nisi præstantißimis virtutibus te plenè informatum esse cognouisset. Illud autem tacere nolo, & Bartholomeum Camerarium, sacræ Theologiæ, & iuris prudentiæ ornamentum atque splendorem: & Franciscum vicomercatum, Peripateticæ philosophiæ decus & lumen, qui perpetua quadam obseruantia te colunt, me vltrò celerrimè currentem, hoc vt facerem, valdè eße cohortatos. Causæ itaque expositæ sunt (clarißime Pontifex) cur statuerim hoc opus in tuo nomine diuulgari. Quod si tibi gratum esse perspexero, quod equidem opto, dabo operam vt etiam alia, quæ apud me extant, nondum illa quidem planè perfecta, absoluantur, & in tuo nomine in manus hominum, lucemq; prodeant, vt per te hisce bonis, si quæ sunt, omnibus hominibus frui liceat. Vale ornatißime Pontifex, meq; in eorum, quos virtus tua addixit tibi, numerum, ascribe.

Lutetiæ Parisiorum Decimo cal. Nouembris. M. D. LV.

Errata operarum.

Fol.14.p.2.ver.27.eius pro eiuſmodi.Fol.19.pa.2. ver.primo ἐςὶ pro ἐςὶ συντεθέντα.Fol.21.pag.2.ver.13. caſus pro caſeus.Fol.33.inſpiciendas pro inſpiciē dus.Fol.33.pag.2. Ver.9 ſe pro eſſe. ver.10. ſentri pro ſentiri.Fol.37.ver.22.aqua pro qua Fol.44. pag.2.ver.22. τυν καλȣμένυν φίλεθχρον pro τὴν καλȣμένην φιλέχθρον. Fol.64.pag.2.ver.30. Tlaita pro flaua. Fol.65.ver.12. à,redundat. Fol.75.pag.2. ver.26. χυός pro χυμὸς. Fol.81.pag 2. ver.32. ſolūt pro ſolū. Fol.93.pag.2.ver.12.ετργαζόμενος pro εργαζόμενος. Fol. 102.pag.1.ver.vltimo,particulam ratur,pro,particulam ſenectus excipiat, eam tamen tam paruam eſſe, & tantam pituitoſi excrementi copiam, vt quemadmodum gutta vini in cyathum aquæ effuſa,veluti euaneſcit,ita illa portio nigræ bilis planè obſcuratur.Fol.113.ver.26. σκοκον pro σκόπον. Fol. 120.ver.19. naturæ pro maturæ.Fol.130.ver.10. ἀιματώδης pro αἱματώδης.Fol.144.pag.2.ver.16. conſeruationem pro conſecutionem.Fol.157.pag.2. ver.impudentiæ pro imprudentie.

PRAEFATIO

in librum Galeni de humoribus.



Restantissimos Aristotelis interpretes imitatus, ea, quę gręcis προλεγόμενα appellantur, nonnulli verò ex latinis præfationes vocare sunt soliti, ob eam causam initio aperienda putaui, antequam singula Galeni verba exponam, quoniam citra eorum cognitionem animus eius, qui vel librum, vel opus aliquod legit, incertus ac infinitus fertur, nec aliquid solidi comprehensum tenens, veluti vagatur. Et quamquam nonnulli sint, qui προλεγόμενα nullo modo explicari oportere contendant, eos tamen nullo modo audiendos esse existimo, nec in eos quicquam dicendum, cũ toto cælo aberrent, nec ratione probabili vlla ducti, talia sentiant. Eorum autem quæ προλεγόμενα dicuntur, non est vnus & idem numerus apud interpretes omnes, sed alij alia præfantur pro dignitate rerum explicandarum. Ego autem si pauca quædam breuiter dixero, & de vtilitate huius libri, & de eiusdem inscriptione, de subiecto, de fine, de methodo, de ordine ad reliquos artis medicæ libros, denique an sit germanus Galeni liber, omnia ea abundè mihi explicasse videbor, quę ad omnibus suis numeris absolutã cognitionẽ eiusdem faciant. Singula itaque, eo, quo à nobis proposita sũt, ordine, psequamur, ab vtilitate initiũ ducẽtes

De vtilitate libri de humoribus

Vtilitatē operis initiò esse explicandā.



Clari ac nobiles tū Hippocratis tū Aristotelis interpretes, vtilitatem eius vel libri, vel operis, quod interpretatione illustrare proposuerūt, quam, qui illud lecturi sunt, percipient, initio patefaciunt, vt eos animēt, & incendant. Nō enim propenso animo in aliquod opus quis incūbet, nisi prius quē inde sit pcepturus fructū, atq; vtilitatē intelligat. Quorū ego vestigiis insistēs, quāta sit huius libri, paucis exponā. Atq; eā quidē maximā esse, copiosè videbor demōstrasse, si docuero Hippocratem, vehementer medicos, ad humorū cognitionē, esse adhortatū. Qui in libro de veteri medicina, hęc verba, scripta reliquit. Cæterū (inquit) & hęc cognoscere oportere mihi videtur, nimirū quæ affectiones homini ex facultatibus ac potētiis, quæ itē ex figuris adueniūt. Quod autē dico tale est, nēpè facultatēquidē esse, humorū summas vires ac robur nosse. Et in fine eiusdē libri talia fatur. De facultatibus (inquit) humorū perspectū habere oportet, quid singuli ipsorū in homine facere posśint, & quomodo cognationes inter se habeant. Quod dico tale est, an videlicet dulcis humor in aliam speciem mutetur, non à contemperamento, sed ipse desciscens, & immutatus ab eo, qualis primum fuerat, amarus, aut salsus, aut acerbus, aut acidus. Sit sanè acidus. Ergo acidus humor reliquos præcellens, maximè incommodus fuerit: si vtique dulcis omnium cōmodisśimus existit. Galenus etiā. 2. de facultatibus naturalibus. Nunquid (inquit) quæso quemadmo

Vtilitas huius libri est maxima.

Humorum vires medico esse cognoscendas.

dũ cibi cõcoquũtur in vẽtre eſt vtile ſciuiſſe, ita nõ ne paris momẽti eſt, vel ſanguinẽ bonũ gigni, vel nutrimentũ in ventre ꝓbè in chylũ verti? Et paulo inferius, nõne generãdæ hydropis cauſa ex efficiẽtiæ ſanguinis defectione ꝓuenit, ſicuti ex ciborũ coctionis defectione diarrhæa? Quaſi diceret, quomodo mente hæc ꝑcipi poſſunt, niſi humorũ vim, robur, naturã deniq; omnẽ, fueris cõtẽplat⁹. Alias pleraſq; & Hippocratis & Galeni authoritates, & ꝑſertĩ eã quę eſt initio libri de atra bile, hoc loco afferre poſſẽ, ſed ne ſolis authoritatib⁹ videar niti, rationes etiã aliquot adiũgã. Medicinę, ſanitas tãq̃ finis ꝓpoſita eſt. Sanitas autẽ poſita eſt in ſymmetria humorũ, & morb⁹ in eorũdẽ ametria (græca nomina, q̃ accomodatiſsima ſunt retineamus, eaq; vſu ac cõſuetudine terrendo, latina faciamus) ergo medicus ſine humorũ cognitione, ſanitatẽ præſentẽ nullo modo tueri poterit, & abſentẽ, morbũ propulſãdo, reuocare. Quapropter citra humorũ cognitionẽ, medicus nũq̃ ſibi propoſitũ finẽ aſſequetur, vt ſine his, reliqua oĩa ſupuacanea videãtur. Pręterea cũ ad ægrũ aliquẽ curandũ accedim⁹, primũ à quonã exuperãte vel deficiẽte humore, proficiſcatur morbus, quo ęger ille opprimitur, etiã atq; etiã inueſtigamus, tanq̃ ſine ei⁹ cognitione nullo modo poſsit abigi morbus. Deniq; ſi oẽs q̃ à medicis ſuſceptæ ſunt diſputationes vigilãtibus oculis intuearis, profectò nulla erit, in qua vel nõ agatur de humoribus, vel de hiſce q̃ ab humorib⁹ manãt, vel de iis, q̃ aliquo modo ad humores referãtur, Cõcludẽdũ ergo exiſtimo, ſũmã eſſe hui⁹ libri vtilitatẽ, & maximũ ei⁹ fructũ & e-

Medicus ſine humorum cognitione nõ poteſt aſſequi finem ſuum.

molumẽtũ, cũ absolutã humorũ cognitionẽ profiteatur & doceat sine qua, nemo potest esse, nõ solũ pfectus medicus, sed ne quidẽ benè inchoatus.

De inscriptione huius libri.



Alenus in primo de elementis, inscriptionem librorum non ad modum curandam esse censet, sed virtutem operis inspiciendã. Neque (inquit) nomen operum, sed virtus inspicienda est. Siue enim de natura, siue de elementis, siue de ortu & interitu, siue de substantia quis præsentem commentarium inscribat, nullum mihi discrimen faciet. Franciscus autem Vicomercatus peripateticus illustrisimus initio omnium commentariorum, quos in varia Aristotelis opera doctè & grauiter scripsit, inscriptionẽ, seu titulũ magnopere curandũ esse arbitratur, & summo cũ iudicio faciẽdũ, vt rẽ subiectã, seu subiectũ ipsorũ librorũ primo statĩ initio nobis aperiat. Id ꝙ mihi vehemẽter ꝓbatur. Nã oẽs libri alicuius operis, essent antè legẽdi, q̃ quid in ipsis docretur, cognoscerem⁹, nisi recta initio sit facta inscriptio. Adde ꝙ cũ diuersę res in eodẽ opere aliquãdo explicentur, diuersi diuersas inscriptiones esse faciẽdas ꝑpetuò cõtẽderẽt, nec authoris sentẽtia perspecta esset vnq̃. Magna ergo diligẽtia adhibenda est in titulis faciendis, ipsisq; intelligẽdis, vt vniuersam quãdã ac generalẽ rerũ omniũ, quæ in operibus tractantur, in ipso statim eorũ vestibulo, animo cõprehensam notionẽ habeamus. Inscriptio enim nihil aliud videtur esse, q̃

C.16

Inscriptionẽ libri aut operis summo cũ iudicio faciendam.

Inscriptio quid sit.

ſumma quædã rerũ omniũ in opere explicatarũ, aut vno, aut duob⁹, aut paulo plurib⁹ nominib⁹ ex preſſa. Liber itaque hic cum ad manus meas peruenit, ita inſcriptus erat, γαληνοῦ εἰς τὸ περὶ χυμῶν ἱπποκράτους, ἢ περὶ καιρῶν. i. Galeni in librum Hippocratis de humorib⁹, aut de tẽpeſtatibus. Quã ſanè inſcriptionẽ nõ eſſe verã & ſyncerã, ſed ab aliquo imperito effictã, & huic libro affixã, mihi perſuadeo. Inſcriptio enim omnis, p̃ſertim cũ à viris doctis efficitur, rebus ipſis in libro vel opere tractatis, repõdet. At illa nõ reſpõdet, quippe quũ hic liber non ſit cõmẽtarius in librũ Hippocratis de humorib⁹. Nã ſi hũc librũ dicies millies & legas & perlegas, nuſq̃ in eo videbis aliquẽ Hippocratis locum, qui ſit in eius libro de humoribus, explicari: at cõmentariorũ eſt, nõ ſolũ ſingulas ei⁹ ſentẽtias aperire, ſed etiã ſingula verba examinare. Nõ diffiteor tamẽ, quin in hoc libro, aliquę ſentẽtię ex libro Hippocratis de humoribus citentur, ſed aliud eſt ſentẽtias aliquas citare, & aliud eaſdẽ ex ꝓpoſito interp̃tari. Prȩterea ſtylus, ſeu dicẽdi gen⁹, quo Galenus vtitur in hoc libro, ſatis indicat eũ nõ eſſe cõmẽtariũ, Eſt enim breuis maximè & cõciſus, & ſingulę periodi, aphoriſmi vidẽtur, quãdoquidẽ res ipſę ſolũ ponũtur, nulla demõſtratione adhibita. At is, qui interp̃tis munere fungitur, demõſtrationes afferre debet. Deniq; cũ dicitur, Galeni ĩ librũ Hippocratis de humoribus, aut de tẽpeſtatib⁹, hoc poſtremũ, nẽpè, de tẽpeſtatib⁹, aut refertur ſolũ ad Galenũ, aut ſolũ ad Hippocratẽ, aut ad vtrũq;. Nõ ad vtrũq;. Quid enim hoc eſſet, Galeni liber de tẽpeſtatib⁹, in librũ Hippocratis de humorib⁹? Non

Inſcriptio huius libri qualiſnam erat

Hic liber nõ eſt commentarius in Hippocratem.

Inſcriptio vetus, mendoſa.

ſolū ad Hippocratē, quia Hippocrates nō īſcripſit librū ſuū, de humoribus aut de tēpeſtatibus, ſed ſolū de humoribus. Nō ſolū ad Galenū, quoniā in hoc libro Galenus nō diſputat de tēpeſtatibus ſolū, ſed & de elemētis, & de humoribus, ita vt quæ & de elemētis & de tēpeſtatibus tradūtur, gratia humorū explicādorū videātur allata, vt potius de humorib⁹, quā de tēpeſtatibus inſcriptio videatur faciēda. Quapropter hic liber nō eſt cōmētari⁹ in Hippocratē de humorib⁹, nec ei⁹ inſcriptio rectè eſt cōformata. Exiſtimarē itaq; ego ei⁹ inſcriptionē faciendā eſſe ſimpliciter hunc in modū, γαληνοῦ περὶ χυμῶν. i. Galeni de humoribus liber: quippe cū de tēperamēto humorū agat, de eorū inter ſe admixtione, de cauſis eos procreantibus, de ætatibus in quibus dominātur, & denique de omnibus hiſce rebus, quæ ad abſolutā cognitionē humorū faciūt: vt nō rectè mihi videātur ſentire ij, qui hūc librū fragmentū eſſe putant: aut ſi quædam deſunt, illa nō ſunt nec multa, nec magna, cū, quēadmodū dixi, in hoc plena humorū cognitio haberi videatur, ſuma tamē breuitate explicata. Verū quoniam Galenus, cum tractat res ab Hippocrate iam poſteritati relictas, aliam plerumque inſcriptionē facere ſolet, & Hippo. librū ſuum inſcripſerit, de humoribus, ſi hic Galeni liber inſcribatur, περὶ τῶν χυμῶν, καὶ στοιχείων, καὶ καιρῶν. i. de humoribus, & de elementis, & de tempeſtatibus, non admodum repugnabo. Siquidem tribus hiſce capitibus totus hic liber comprehenſus cernitur. Pauca tamen ſunt quæ de elementis ac tempeſtatibus dicuntur, eaq; humorū declarādorū gratia, breuiſsimè inſerta.

Inſcriptio qualis eſſe debeat.

Hic liber non eſt fragmentum.

De ſubiecto huius libri.



Mnis ars, omnis ſcientia, omnis deniq; facultas, rem aliquã ſubiectã, in qua verſatur, propoſitã neceſſario habet. Nulla enim ſcientia, nullaque facultas, in eo quod non eſt, nullo modo verſari poteſt. Id quod attigiſſe videtur Ariſtoteles vndecimo meta-
C.7. phyſicorum libro, inquiens, ἐπιστήμη μὲν γὰρ πᾶσα τοῦ ἀεὶ ὄντος, ἢ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. i. omnis ſcientia eſt rei, aut quæ ſemper eſt, aut quæ plerumque. Ergo & medicina & ſingulæ eius partes, rem aliquam ſubiectam habebunt. Cæterum ſiue rem ſubiectã, ſiue ſubiectum, ſiue inſtitutum, ſiue propoſitum, ſiue vt loquũtur, intentionem dicas, nihil intereſſe putabo. Quamquam non me lateat, pleroſque hæc ſuperſtitioſè admodum inter ſe diſtinguere ſolere. Prætermiſſo itaque ſubiecto & medicinę, & aliarum eius partium, tãquam hoc ſit alterius & inſtituti & temporis, ſolum de huius libri ſubiecto, pauca quædam exponam. Subiectum autem in vno quoque & libro & opere id eſſe videtur, quod inſcriptio declarat, cum autem inſcriptio facta ſit de humoribus, humores profectò huius libri ſubiectum ſint neceſſe eſt. Quod autem in vnaquaq; facultate & ſciẽtia quatuor videãtur cõſyderãda, ſcilicet ſubiectũ, partes ſubiecti, ſubiecti proprietates ſeu proprias affectiones, & principia, ſiue cauſas eiuſdem, in commentariis, quos in magna moralia Ariſtotelis conſcripſi, ex Ariſtotelis dogmatibus demõſtraui. Quę cũ in hoc loco nõ videãtur explicari oportere, idcirco prætermittẽda putaui.

In vnaquaq; ſciẽtia eſt aliquod ſubiectum.

Subiectum quodnã ſit

Subiectum huius libri

In quaque ſcientia quatuor eſſe conſideranda.

De fine

Ca. I

Finis aliquis cuique sciẽtiæ est ꝓpositus.



Mnẽ scientiã, omnẽq; facultatẽ, finẽ aliquẽ propositũ habere, primo magnorũ moraliũ libro, iis verbis Aristoteles pronunciauit. πρῶτον μὲν οὖν ἰδεῖν δεῖ, ὅτι πάσης ἐπιστήμης καὶ δυνάμεως ἐστί τι τέλος, καὶ τοῦτ᾽ ἀγαθόν. Hoc est, Primum dicere oportet, omnis scientiæ & facultatis esse aliquem finem, eumq́ue bonum. Ergo & medicinæ propositus erit aliquis finis. Medicinæ autem finis est sanitas, proptereà quòd huius gratia, medicus omnia agit. Singularum verò medicinæ partium principalium, quæ à medicis hæ constitutæ sunt, φυσιολογική, ὑγιεινή, αἰτιολογική, σημειωτική, καὶ θεραπευτική, quamquam proprius quidam finis videatur constitui posse, attamen finis totius, sanitas nimirum, esse videtur illarum quoque finis. Quocirca cum hic de humoribus liber, pertineat ad eam medicinæ partem, quæ φυσιολογική nominatur, habebit & ipse sanitátem veluti finem propositã. Verùm si sanitatem finem communem esse dicas, & proprium requiras, non erit fortasse à ratione alienum, si veram de humoribus cognitionem, eũ statuamus. Nam quæcunque in hoc traduntur & explicantur, huius rei gratia explicantur, scilicet vt verã de humoribus cognitionẽ animo cõprehensam habeamus. Vnde colligi potest huius libri duplicẽ esse finẽ, vicinũ seu ꝓpriũ, vt vera de humoribus cognitio: & remotũ seu cõmunẽ, vt sanitas. Intelligendum est autem, Galenum initio libri de sectis, distinxisse finem à scopo, Nã inquit, Me-

Finis medicinæ.

Medicinæ partes quinque præcipuæ

Finis communis huius libri.

Finis proprius huius libri

Finis duplex huius libri.

dicæ artis ſcopus, eſt ſanitas: finis, ipſius poſſeſſio. Sed Galenus hoc locis a[illegible]actiſſimè loquitur. Conſtat tamen multis aliis in locis eũ minus exactè & ſupſtitioſè vocabulũ finis vſurpãdo, ſanitatẽ ipſã medicinæ finẽ feciſſe. Intelligendũ eſt etiã ab Ariſtotele & in 2. de rerũ principiis, & in 2. de anima & aliis pleriſq; in locis, aliã finis diuiſionẽ poſteritati eſſe relictã, ſcilicet in finẽ cuius, & in finẽ cui. Finis cuius eſt id cuius gratia agim⁹ omnia: vt finis cuius quem propoſitum habet philoſophus moralis, eſt fœlicitas. Hui⁹.n.gratia omnia agit. Finis verò cui, eſt id, cui cõparatur finis cui⁹, & cũ homini cõparetur fœlicitas, homo erit finis cui, philoſopho morali propoſit⁹. Ita medicina duplicẽ habet propoſitum finẽ.ſ. cuius & cui. Finis cuius .ſ. gratia omnia agit, eſt ſanitas: Finis verò cui. ſ. illa comparatur, eſt homo.

Finis diuerſus à ſcopo.

Finis cuius.

Finis cui.

Medicinæ duo fines.

De methodo, qua humores in hoc libro ſunt tractati.



Ethod⁹ eſt certa via & ratio diſponandarum tractãdarum atq; confirmandarum artium: vel eſt artificioſus & compendiarius tractandæ ſcientię modus. Nam μέθοδος eſt τὸ μεθ' ὁδοῦ, quod eſt, cum via nimirum ratione & ordine. Methodus autẽ triplex eſt, vt initio eius libri, qui ars parua inſcriptus eſt, Galen⁹ tradidit. Vna dicitur ἀναλυτική, altera συνθετική ſeu ἐκ συνθέσεως: Tertia ὁριστική ſeu ἐξ ὅρου διάλυσις, vulgo autem hiſce nominibus exprimuntur, reſolutiua, compoſitiua, definitiua.

Methodus quid ſit.

Methodus ſimplex eſt triplex.

Methodus analytica quid

Method⁹ analytica,(vulgo resolitiua) est certa via & ratio docendi, in qua ex finis notione, per eiusdem finis resolutionem, fit progressus in principia, & causas, semper sibi proximas, dum ad vltimum sit peruentum. Finis enim notio, est principium artium, quę via & ratione docentur: de fine verò nõ consultatur, vt copiosè docuit Aristo. tertio ethicorum ad Nicomachum libro. Non enim medicus consultat, an sanitatem tueri debeat, aut morbum profligare, sed simpliciter finem, nempè sanitatẽ animo cõcipit, deinde que ad eã spectãt, omnia ordine resoluit, donec ad vltimũ sit peruẽtum, quod est primũ in cõpositione. Quibus ita resolutis, ars cõstituta dicitur, tamquã analysis seu resolutio sit ꝓposito fine quędã inuestigatio principiorum, causarũ, & mediorũ, quibus finẽ propositũ cõsequi possumus, ordine quodã effecta. Qua sane methodo, Aristoteles philosophiã moralem tractauit. Quod autẽ resoluere, multas habeat significationes, Quodque resolutio (hoc vocabulũ vsu latinum faciamus) modo inuestigationẽ, modo reuocationem, modo diuisionem significet, in magnis moralibus copiosè ostẽdi. Methodus synthetica, seu (vt inquinnt) compositiua, est certa via & ratio docẽdi, in qua cum aliquid explicare volumus, à partibus minutissimis illius auspicamur, deinde certo ordine ad alias maiores, nullam prętermittendo, progredimur, quousq; omnes explicatæ fuerint. Hac methodo grammatice est tradita, cũ in ea fiat progressus à literis ad syllabas, à syllabis ad dictiones, à dictionibus ad orationem. Aristoteles etiam suam logicen hac methodo do

Notio finis ẽ principium artium.

De fine non consultatur.

Analysis quid.

Methodus componendi quid.

cuit quippe cũ à vocibus ſimplicibns ad ꝓpoſitio nes, à propoſitionibus ad ratiocinationem tandẽ ſit quogreſſus. Methodus deniq; oriſtica ſeu defi nitiua, eſt certa via & ratio docendi, quæ initiò ar tis, aut rei quæ docenda eſt, generalem definitionem præponit, quibuſdã veluti capitibus omnes artis, vel rei partes continentem (optima enim definitio, inquit Galenus initio artis paruæ, totius artis capita in ſe continet) quæ capita rurſus in partes diſſoluit (eſt enim διαιρέσεως ſeu διαλύσεως miniſterio, vbique opus) haſque iterũ in alias, nec ab huiuſmodi ſectione & membrorũ declaratione deſiſtit, donec omnia artem, vel rem ſpectantia, ſaltem generatim explicauerit. Hac methodo Galenus in arte parua, medicinam nos docuit. Cum itaque hæ ſint methodi, quanam earum humores in hoc libro ſunt tractati? Nulla. Intelligendũ eſt ergo, p̃ter tres ſuperiores methodos ſimplices eſſe aliud quoddam methodi & docendi genus, quod græcis dicitur διδασκαλία κατὰ διέξοδον. i. doctrina ꝑ enarrationem fuſam, cuius non rarò Galenus meminit. Hęc quidem eſt expoſitio, nunc per exempla, nunc per ſimilia, nunc per diſſimilia, nunc per contraria, nunc per proprietates & accidentia rei, nunc per alios locos, quibus obſcura illuſtrantur? Hac methodo & docendi genere, in hac de humoribus tractatione, Galenus eſt vſus. Nam multas ſimilitudines ſumit, tum ab elementis, tum à tempeſtatibus, ad humorum naturam declarandam, hos quoque illis diſſimiles multis in rebus oſtendit, humorum etiam locum, tum ortus tum permãſionis, tum exitus, inſuper & eorũ colorẽ,

Methodus definiendi quid.

Methodus κατὰ διέξοδον.

ſaporem, tēperamentum, & alia pleraque vt videbimus, paucis aperit verbis.

De ordine, ſeu loco huic libro, dicato.



Via ordini in docēdo primę tributę ſunt partes, (præclarè enim res doceri nullo modo poſſūt, niſi in ipſis explicandis ordo teneatur) idcirco breuiter aperiendum putaui, quem locum & veluti ſedem habere debeat hic liber, in ea diſpoſitione & collocatione, quam natura obtinere debent libri ad φυσιολογικὴν pertinentes: & quia non me latet vltrò citroque traiici poſſe argumēta quædam, his prætermiſſis: quod ſentio explicabo paucis. Primus itaque locus eſt librorum de elementis, ſecundus eorum omnium, qui temperamenta explicant, quocunque nomine inſcribātur illi. Tertius huius libri de humoribus. Nam in hominis conſtitutione, vt teſtatur Galenus in primo de elementis, prima ſunt, & à nobis concipiuntur materia & forma: Deinde quatuor elemēta ignis, aer, aqua, & terra: tum cibus & potus: ex quibus proximè humores generantur, ex humoribus autem proximè partes ſimilares, vt caro, os, neruus & ſimiles.

An hic liber sit Galeni.

NOn facilè fortaſſe quiſque in eam opinionem deſcendet, vt hunc librum, qui incluſus atque abditus tandiu latuerit in occulto, Galeni eſſe fateatur. Sed mea quidẽ ſententia temporis diuturnitas, ſeu diuturna alicuius libri occultatio, efficere non debet, vt liber ille amittat ꝓpriũ authorẽ, aut cõtra, ſiquidẽ ferè quotidiè videmus veterum illorum libros aliquos prę claros, recens in publicam hominum lucem proferri. Dices etiam fortaſſis hunc librum Galeni ꝓpterea non eſſe, ꝗ genus dicẽdi ſit maxĩe breue atque conciſum, cum tamen Galenus in dicendo ſoleat eſſe amplus ac copioſus. Sed ſi animaduertas eum librum, qui ars parva inſcriptus eſt, & eos inſcriptos de ratione curandi ad Glauconem, & alios quoſdam, deprehendes ſanè, Galenum plurimum potuiſſe in breuiter & abſolutè aliquid complectendo. Non enim ſolúm productè, ſed & breuiter Galenus quid de quaque re ſentiret, dicere poterat: orationis ergo breuitas non efficit, quin hic liber Galeni ſit exiſtimandus. Ideoque hic liber maiore honore eſt dignus, quo breuior eſt eius oratio. Credo enim, atque etiam quotidiè experior, difficilius eſſe breuiter & ſtrictim aliquid ſcribere, quam productè & copioſè. Denique te mihi oppones, ob eam cauſam hunc librum non videri eſſe Galeni, quoniã non nulla hoc in libro tradũtur, quæ contraria ſunt illis placitis, quæ extant in his libris, quos om-

Primæ obiectionis ſolutio

Obiectio ſecunda & eius ſolutio.

Difficilius ẽ multa paucis quam pauca multis complecti.

Tertia obiectio & eius explicatio.

nes fatentur Galeni esse. Nam hîc ponit Sanguinem & ver esse calida & humida, cum tamen in libris de tẽperamentis, eadẽ fecerit tẽperata. Ad hoc tibi respondeo facilè, nullũ placitũ in hoc libro poni, quod etiam non reperiatur in iis libris, quos tu à Caleno cõscriptos esse fateris. Nam in libris tum de facultatibus naturalibus, tũ de causis symptomatum, sanguinem calidum & humidum facit. Alibi quoque dicit ver calidum esse & humidum. Hæ ergo quæ videntur repugnantiæ, concludere non debent, huius libri Galenum nõ esse authorem. Quæ omnes quomodo dissoluendæ atque intelligendæ sint, suo loco dicemus. Ob iectionibus ergo explicatis, nunc Galenum huius libri authorẽ esse doceamus. Opus itaque omne quod circumfertur, alicuius authoris esse cognoscimus, aut ex eo, quia ipse author in alio opere illius mẽtionem fecit: aut ex acumine ipsius authoris, quod ex aliis eius operibus nobis perspectum est: aut ex inuentione, aut ex collocatione, aut ex dicendi genere, aut ex nominum verbornmque proprietate, aut ex grauitate sententiarum, aut ex omnibus hisce, aut ex aliquibus. Ac primum quód huius alibi mẽtionem fecerit, tibi perspectũ esse poterit ex fine secundi de facultatibus naturalibus, vbi apertè dicit, se librũ de humorib⁹ scripsisse. Et si hunc non esse, qui à Galeno citatur, cõtendas, cur ego eadem ratione, & artem paruam & de ratione curandi ad Glauocnem, & reliquos similes libros, à Galeno non esse effectos, negare non potero, etiam si alibi citentur ab eo? Quantum verò ad reliqua omnia attinet, vt breuiter, &

Hic liber Galeni est.

quot notis cognoscimus aliquod opus esse talis authoris.

ſummatim dicam, collocatio rerum, & dicendi genus, & nominum atque verborum proprietas, & reliqua quę commemorauimus, Galeni doctrinam redolere videntur.

Omnia ferè de humoribus theoremata, in hoc libro à Galeno explicata.

HVmores eſſe principia animalium, vt elemẽta, mundi: & tempeſtates temporis.

Humores quomodo conueniant cum elementis mundi, & tempeſtatibus temporis.

Humorum temperamentum reſpondet temperamento elementorum & tempeſtatum.

Humores inter ſe, aut partim conueniunt & partem diſcrepant, aut omnino diſcrepant, quemadmodum elementa inter ſe, item inter ſe tempeſtates.

Humores non ſunt iidem loco, colore, facultate, conſiſtentia, & qualitate, quemadmodum ſunt elementa mundi, & tempeſtates temporum.

Humores mutãtur inter ſe ferè, quemadmodum elementa.

Humorum alij ſunt ſynceri, alij mixti

Humorum alij ſunt crudi, alij concocti.

Humorum, quænam ſint cauſę procreatrices.

Humores ſimplices generãtur à cauſis ſimplicib9. & humores inter ſe mixti, à cauſis inter ſe mixtis.

Humores in quibuſnam ætatibus augeantur & vigeant.

Ὅπερ ἐν κόσμῳ στοιχεῖον, τοῦτο ἐν ζώοις χυμός, ὥσπερ δὴ καὶ ἐν χρόνῳ καιρός.

Quod eſt in mundo elementum, hoc in animalibus eſt humor, quemadmodum & in tempore tempeſtas.



VLta ac penè innumerabilia ſunt argumentationũ genera: ex omnibus autem nullũ eſt magis aut familiare, aut perſpicuum, aut ad docendum facilius, quàm ipſa ſimilitudo. Vt ergo ꝓpiſcuè Galenus humorum naturam nobis aperiret, in hoc ſtatim initio duas ſimilitudines ſumit, alteram à mũdi elementis, alteram à tempeſtatibus temporum. Hæc enim ſunt nobis illuſtriora ac clariora, quàm humores ipſi. Nam nemo non ſentit aquam & hyemem eſſe frigidam & humidam: ignem & æſtatem calidam ſiccam: terram & autumnum frigidum ſiccum: aera & ver calidum humidum, ſi Hyppocratis ſententiam ſequi volumus, qui in libro de natura humana, ea quę de quatuor tum elementis, tũ anni tẽpeſtatibus, dixi poſteritati reliquit. At non omnes norunt pituitam, eſſe frigidam & humidam: bilem flauam, calidam ſiccam: humorem nigrum, frigidum ſiccum: ſanguinem, calidum humidum. Meritò igitur ſumpta ſimilitudine & ab elemẽtis mundi, & à tẽpeſtatibus temporum, explicat humores animalium, quando quidem his quæ notiora ſunt, ea quæ minus ſunt

nota explicari debẽt. Nam ea quæ perſpicua ſunt, declarare ꝑ obſcuriora, eius eſt hominis, qui quid ſit per ſe notum, & quid non per ſe, diiudicare nõ poteſt, quemadmodum grauiter docuit Ariſto. in 2. de rerum principiis. Similitudines itaque hoc modo videntur tractandæ. Quemadmodũ quod ſunt in mundo elementa, ita illud ſunt in animantibus humores. Item quemadmodum quod ſunt in tempore tempeſtates, ita illud in animãtibus humores ſunt habendi. Tempeſtates autem temporum veras & proprias, quatuor eſſe, veer, ęſtatẽ autumnum, & hyemem: item quatuor eſſe mundi elementa, ignem, aera, aquam, terramq́ue, nemo neſcit. Eodemq́ue modo quatuor eſſe humores in nobis, ſanguinem, pituitam, bilem tum flauam tum atram, primus omnium Hyppo. demonſtrauit. Quibus autem in rebus ſimilia ſint & elementa mundi, & temporum tempeſtates, & humores humanũ corpus conſtituentes & conſeruantes, mox ipſe Gelenus aperiet. Sed ne aliquid in hoc ſtatim principio deſiderari videatur (plus. n. valet principium quàm dimidium totius, authore Heſiodo, quod etiã Ariſtoteles in primo ad Nicomachum libro refert) breuiter exponamus quid ſit στοιχεῖον. i. elementum, & quid χυμὸς i. humor, & quid καιρὸς. i. tempeſtas. Elemẽtum itaque Ariſto. in quinto methaphyſicorum libro, definiuit eſſe id, ex quo fiat aliquid, cui inſſit, & ſit indiuiduũ ſecundum ſpeciem. Nã ſi ex eo aliquid non fiat, nullius certè rei elementum eſſe poterit. Omne enim elementum pertinet ad genus cauſæ, quæ materialis vulgò nominatur, materia verò

In lib de na hum.

Elementum quid ſit.

Elementum pertinet ad cauſam materialem.

Ca. 1.

Ca. 7

Ca. 3.

omnis, inest in re, cuius materia est. Nam si id, ex quo fiat aliquid, in re iam effecta non remaneat, sed pereat, habet rationem priuationis, nō autem materiei, & ad priuatione pertinet, quam distingui & definitione & natura à materia, in primo physicorum firmis rationibus demonstratum est, simulque eo in loco edocemur, materiā à priuatione differre, quòd materia remaneat in re absoluta, priuatio verò minimè. Verum quoniam materia prima nullā suapte natura formā habet propriam, elementū propriè dici nō cōsueuit (omne enim verè ac propriè elemētum, aliquid actu est) neque etiā materiæ tertiæ vel quartæ, quæ in priora corpora resoluūtur, & ex prioribus corporibus constitutæ sunt, elemēta verè dici possunt, sed tantū prima corpora ex quibus reliqua constant, hoc sibi vendicare videntur, vt elementa sint: Idcirco in elementi definitione dicebatur, illud indiuiduū esse secundum speciem. Materia.n.prima, quæ nō habet speciem vllam, dici non potest indiuidua secundum speciem. Neque etiam aliæ materiæ, posteriores primis corporibus, indiuiduę sunt secundum speciē, cū possint in prima corpora dissolui Quapropter ignis, aer, aqua, & terra propriè elementa sunt dicenda. Non nego tamē quin Aristoteles sæpe primā materiam elementum vocitet, vt in primo de rerum principiis videri potest. Sed latissimè aliquādo elementi nomē accipit. Duplex enim est elementum alterum incorporeum, qualis est prima materia, alterum corporeum quod propriè elemētum dici solet, qualia sunt ignis, aer, aqua, & terra. Galenus autem in primo de

Ca.9 (margin, beside line 2)

Materia prima non est elementum.

Materiæ secundæ non sunt propriæ elementa.

Elemēta propriè quænam sint.

Ca 1 (margin, beside "enim est elementum")

Elementum duplex.

Humor quid ſit.

elementis, ſic definitione aperuit elementum, eſt minima particula eius rei, cuius eſt elementum, Idem etiã. 8. libro de placitis Hyppocratis & Platonis poſteritati reliquit. Atque quid ſit elementum diximus. Nunc quid ſit humor aperiamus. Humor, quatenus ex ſecundo de elementis Galeni colligi poteſt, eſt elementum animantium, ſanguine præditorum: de quo in progreſſu accuratius, quid ſit, tradam. Ex quibus perſpici licet, humorem hic in alia ſignificatione accipi, quam Cicero conſueuerit. Nam humor apud Ciceronem ſignificat interdum aquã, vt cũ in ſecundo de natura Deorum inquit, Humor ita mollis eſt, vt facile comprimi collidique poſſit: Interdum ſignificat qualitatem humectantem, quã appellant humiditatem. In qua ſignificatione accepit in tertio de natura Deorum, inquiens, Humor & calor qui eſt infuſus in corpore. Atque quid ſit humor breuiter dictum eſt. Nunc paucis doceamus quid ſit καιρός. Vocabulum καιρός nonnunquã verti poteſt occaſio, quo certè modo conuerti debet in primo Aphoriſmorum, cuius definitio talis eſſe poteſt. καιρός .i. occaſio, eſt pars temporis in ſe habens rei alicuius idoneam faciẽdi aut non faciendi opportunitatem. Nonnũquam conuerti poteſt tempeſtas. Atque hoc modo hîc conuerti debet. Cuius definitio eius erit, καιρός .i. tempeſtas eſt anni pars, à conuerſione ſolis ſupra terræ ambitum effecta, vel, eſt anni pars effecta à ſolis acceſſu atque receſſu. Dictum eſt itaque quid ſit καιρός. Animaduertendum eſt autem, cum Galenus dicit in animalibus eſſe humores, hoc intelligi oporte- Ca.6

Humor ſignificat interdum aquam

Humor ſignificat aliquando qualitatem humectantem.

καιρός quot modis vertatur.

Occaſio quid

Tempeſtas quid.

In omnibus animalibus non ſunt quatuor humores

Ca. 1.

re in animalibus ſanguinem habentibus. Non enim in omnibus animalibus ſunt quatuor humores, quoniam in omnibus non ineſt ſanguis, ſiquidem Ariſtoteles in primo de hiſtoria animalium tradit hæc omnia animalium genera ſanguine carere, ſcilicet genus teſta intectum, quod oſtreũ ſeu concham appellat, & cruſta incluſum, quod nomine vacat communi, vt locuſtarum & cancrorũ & gammarorum genera: aliud item molle, vt lolligines, vt lollij vt ſæpiæ. Niſi fortaſſe dicamus, quãquã in omnibus animalibusnon inſit ſanguis, eſſe tamen aliquid, quod ſanguini proportione reſpondeat.

In omnibus animalibus vel ſunt quatuor humores vel aliqua illis reſpõdẽtia

οὐ παντελῆ ταυτότητα, ἢ ὁμοιότητα ἔχοντα.

Non autem omnino eadem, aut ſimilia ſunt.



Ntipophora ſeu occupatio interrogationis eſt. Cum enim Galenus dixiſſet, quod ſunt intempore tempeſtates, illud ipſum eſſe in mundo elementa, & in animantibus humores, interrogare aliquis potuiſſet, vtrum tempeſtates temporum, elementa mundi, & humores animantium ſint eadem necne? Reſpondet, illa tria omnino non eſſe eadem, nec omnino eſſe ſimilia. Quibus ſanè verbis indicat quadam ex parte eſſe& eadem & ſimilia Nam qui dicit res aliquas non eſſe omnino eaſdem, nec omnino ſimiles, innuit certè & eaſdem & ſimiles quadam ex parte eſſe. Cæterum elementa mundi, & tempeſtates anni, & humores animantium non eſſe eadẽ, & generatim, & ſpeciatim doceri poteſt, argumento à definitio-

ne ſumpto. Generatim quidẽ, hoc modo elemẽta mundi, ſunt prima corpora, ex quibus mundus conſtat. Tempeſtates temporum ſunt anni partes, à ſolis acceſſu & receſſu effectæ. Humores ſunt elementa, ex quibus partes ſimilares animaliũ proximè componũtur. Speciatim verò hunc in modum. Ignis eſt elementum ſummè calidum, ſiccũque. Ætas eſt anni pars calida & ſicca. Bilis flaua eſt humor calidus & ſiccus. Eodemq́ue modo aer eſt elementum ſummè calidum, & humidum, Æſtas eſt anni pars calida & humida. Sãguis eſt humor calidus & humidus. Similiter aqua eſt elemẽtum ſummè frigidum & humidum. Hyems eſt anni pars frigida humida. Pituita eſt humor frigidus humidus. Denique terra eſt elementum ſummè ſiccum & frigidum. Autumnus eſt pars anni ſicca & frigida. Bilis atra eſt humor ſiccus & frigidus. Quapropter & generatim & ſpeciatim docuim⁹ & elementa mundi, & tempeſtates temporum, & humores animalium, nõ eſſe eadem. Non autem eſſe omnino ſimilia, ſed longè multumq́ue inter ſe differre, mox ipſe Galenus docebit.

Ἀλλὰ μὲν ταυτὰ ταῖς δρασικαῖς τε καὶ παθητικαῖς ποιότησιν.

Sed eadem quidem ſunt qualitatibus & agentibus & patientibus.

PRoximis ſuperioribus verbis indicabat, mũdi elementa, temporum tempeſtates, & animantium humores, quadam ex parte eſſe ea

dem, & quadam ex parte ſimilia. Nunc quanā ex parte ſint eadē, exponit. Atque ait eadem eſſe qualitatibus agentibus & patientibus. Nā ignis, æſtas biliſque flaua, ſunt callida & ſicca. Aer, ver, & ſanguis, ſunt calida & humida. Aqua, hyems, pituitaque, ſunt frigida & humida. Terra, autumnus, ac bilis atra, ſunt frigida & ſicca. Sed vt hæc planius poſsint intelligi, pluribus explicanda ſunt. Intelligendum eſt ergo, qualitatum alias eſſe primas, vt calorem, frigus, humiditatē, & ſiccitatem: alias eſſe ſecūdas, vt leuitatem, grauitatem, mollitiem, duritiem, & cęteras generis eiuſdem. Illę autem meritò primæ dicuntur, quoniam à prioribus qualitatibus originem minimè ducunt, ſed ipſę reliquarum omnium qualitatum cauſę exiſtunt. Ex calore enim ſequitur raritas, ex hac leuitas & mollities, ex mollitiè aſperitas & lęuigatio. Ex frigore verò ſequitur denſitas, ex hac grauitas & durities, ex duritie læuigatio atque aſperitas. Calor itaque, frigus, humor, & ſiccitas ſunt primæ qualitates: quas hîc Galenus appellat qualitates agentes & patientes, id eſt principia actionis & paſſionis, quam interitus aliquis neceſſario comitatur. Dixi interitum aliquem eſſe comitē actionis & paſſionis prodeuntis à primis qualitatibus, vt diſtinguerem grauitatem & leuitatem à primis qualitatibus. Nam quanquam grauitas & leuitas ſint principia actionis per ſe, cū ſint principia motus localis in rebus grauibus & leuibus, attamē cum per motū localē per ſe non acquiratur in re quæ mouetur aliqua qualitas, ob quam fiat alteratio .i. non conſequatur neceſſario interitus alicuius rei ex motu loca-

Qualitates primæ

Qualitates ſecundæ.

Qualitates primæ cur primæ dicantur.

Primæ qualitates cuiuſnam actionis ſint principia.

Grauitas & leuitas aliter ſunt principia actionis quam primæ qualitates.

Primæ qualitates aliqñ considerãtur vt sunt inter se contrariæ.

li, certè grauitas & leuitas alio modo erunt principia actionis, quam primæ qualitates. Verum hoc loco etiam atque etiam consyderandum est, quatuor primas qualitates duobus modis posse inter se comparari. Vno, quatenus sunt contrariæ, vt si conferatur calor cum frigore, & humor cum siccitate. Atque hoc quidem modo comparatæ, omnes vltro citroque sunt agẽtes & patientes. Nam calor corrumpit frigus, cõtraque frigus calorem. Eodèmque modo humor corrumpit siccitatem, contraque siccitas humorem. Altero, modo comparari possunt, quatenus non sunt contrariæ, vt si conferatur calor cum siccitate, & frigus cum humore. Atq; hoc certè modo inter se comparatæ, nec agunt nec patiuntur vicissim. Nam quemadmodum in quinto physicorum explicatum est, omnis actio & passio, quam sequitur necessario alicuius qualitatis interitus, est alteratio, omnis autẽ alteratio est inter qualitates contrarias, quemadmodum omnis motus est inter terminos contrarios, sed calor & humor, item frigus & siccitas, nõ sunt contrariæ, cum in eadem re esse possint, quãdoquidem aër est calidus & humidus, terra frigida & sicca. Ergo hoc secundo modo inter se comparatæ, vicissim nec agunt nec patiuntur, sed solũ primo modo, dicuntur agentes omnes vicissim & patientes. Verùm hoc rectè intelligendum est. Nã etsi quatuor illæ vicissim sint agentes & patiẽtes, attamen, vt in secũdo libro de ortu & interitu tradidit Aristo. calor & frigus magis merẽtur, vt agẽtes dicãtur, humor verò & siccitas, magis vt patiẽtes. Nam calidum veluti congregat partes eiusdẽ

Primæ qualitates aliquando inter se cõparãtur vt nõ sunt cõtrariæ

Ca. 1

Calor & frigus sunt qualitates magis agentes.

Humor & siccitas sunt qualita. magis patientes.

Ca. 2

generis

generis, quas Græci ὁμογενεῖς appellant, & ſegregat partes diuerſi generis quas illi nominant ἑτερογενεῖς. In fornace enim cernimus plumbi partes ſeparari à partibus argenti, ſi antè admixtæ inter ſe erant, partes verò argenti ſimul congregari & cogi, ſimiliter & plũbi partes. Frigidum autem congregat partes & homogeneas & heterogeneas. Nam ſiue extrahatur à fornace plumbum vnà cum argento, vel ſeorſim, profectò à frigore coguntur partes plumbi argento coniunctæ, quemadmodum ſolæ argenti partes. Atqui congregare & ſegregare ſunt actiones. Humidũ autem facilè terminatur termino alieno, id eſt recipit figuram continẽtis, vt aqua in cyatho formatur ad cyathi exemplar. Siccum verò facilè terminatur proprio termino. i. ex ſe habet propriam figuram. At terminari eſt pati. Quapropter cum calori & frigori plures conueniant actiones, ſcilicet cõgregare, ſegregare, cõdẽſare, rare facere, meritò dignę ſunt, quæ qualitates ſimpliciter agentes dicãtur. Humori verò & ſiccitati cũ plures paſſiones inſint, ſcilicet terminari vel alieno termino, vel proprio, dignæ ſunt quæ qualitates ſimpliciter patientes vocẽtur. Quæret autẽ hoc loco ex me aliquis: Quo modo elementa mundi, temporum tempeſtates, & humores animaliũ ſint eadem qualitatibus agẽtibus & patientibus? Ad hunc reſpõdemus aliqua eſſe eadem, duobus modis poſſe intelligi, vno abſolutè, altero, cum adiunctione quadam, quemadmodum ex ſeptimo topicorum libro colligi poteſt: Eadem abſolutè ſunt, vt homo & ἄνθρωπος, vel vt homo & animal rationis parti-

Calor congregat homogenea & etherogenea.

Frigus cogit homogenea & etherogenea

Humidum patitur magis quã agat.

Siccum magis patitur quã agat.

Aliqua eadem duobus modis dicuntur.

Eadem abſolutè

Eadẽ cũ adiunctione.

ceps. Eadem autem cũ quadam adiectione ſunt, vt nix & cæruſa. Nam non ſunt eadem omnino, ſed ſunt eadem candore. Quemadmodum enim nix candore infecta eſt, ita & ceruſa. Eodem certè modo elementa mundi, temporum tempeſtates, humores animalium, ſunt eadem, nõ omnino & abſolutè, ſed cum adiectione, ideſt, ſunt eadẽ qualitatibus agentibus & patientibus. Nam quẽadmodum quatuor coniugationes illarum quatuor primarum qualitatum, quas demonſtrauimus eſſe vltrò citróque agentes & patientes, ſcilicet & calidum ſiccum, & calidum humidum, & frigidũ humidum & frigidum ſiccum, conueniunt quatuor elementis mundi, ita illę quatuor coniugationes, conueniũt & quatuor anni tempeſtatibus & quatuor humoribus animantium. Te autem hoc loco admonitum velim, iis verbis Galenum non ſolum docere, elementa mundi, temporum tempeſtates, animalium humores, eſſe quadam ex parte eadem, ſed etiam eſſe ſimilia, vt ex iis quæ diximus, vnuſquiſque facile intelligere poteſt.

Coniugationes quatuor, conueniunt quatuor elementis, humoribus, tempeſtatibus.

ἆις ταῦτα τὸ εἶναι ἔχει.

A quibus eadem eſſentiam habent.



Vperioris ſimilitudinis explicatio eſt. Nã & elementa mũdi, & tempeſtates temporum, & animalium humores hoc ipſo ſunt eadem & ſimilia, quia illa à qualitatibus agentibus & patientibus, id eſt, à quatuor illis primis qualitatibus eſſentiam ſuam habent.

Sed hęc quoniã ſunt digniſſima ſcitu, diligẽter examinãda ac ponderãda ſunt. Ac primũ illud in-

ueſtigabimus an elemẽta habeãt eſſentiã ſuã à primis qualitatib⁹,ita vt primæ qualitates ſint formæ eſſentiales ipſorũ elementorũ,quẽadmodũ Alexãder Aphrodiſeus egregi⁹ peripateticus,eſt opinatus.Paucis huic quæſtioni reſpõdemus,qualitates primas elemẽtorũ formas eſſẽtiales &naturas nullo modo eſſe poſſe.Nã nulla ſubſtãtia p ſe ſub ſenſum cadit,vt docet Ariſto.in 2. de anima. Nemo autẽ neſcit primas qualitates p ſe à ſenſu tact⁹ ſentiri,primæ itaq; qualitates nõ ſunt ſubſtãtiæ dicẽdæ.Quare nec formæ ſubſtãtiales elemẽtorũ.Preterea Ariſto.in 2.libro de partibus animaliũ cõnumerat accidẽtia elemẽtorũ,eaq; ait eſſe calorẽ,frigus,leuitatẽ,&grauitatẽ.Sed iis authoritatibus rationẽ aliquã adiũgam⁹ Cũ itaq; vnũquodq; elemẽtũ ſimplex,duas habeat qualitates,vel vtraq; erit for forma eſſentialis illius, vel vna forma eſſentialis, & altera accidens.Non vtraque,quoniã fieri poſſet, vt idem haberet duas formas eſſentiales toto genere differentes.Nõ vna.Nam ſit,exempli gratia,ſiccitas forma eſſentialis terræ, ſi ergo ex terra debeat generari ignis,frigus tãtũ pelletur, ſiccitas verò remanebit: forma ergo ſubſtãtialis terræ remanebit.Quare vel ex terra nõ generabitur ignis, vel in igne erit forma eſſentialis terræ.Quæ abſurda ſunt omnia.A qualitatib⁹ igitur primis,elemẽta eſſentiã ſuã nõ habẽt,ita vt illę horũ ſint formę eſſentiales. Cur ergo Galen⁹ hoc in loco à qualitatibus agẽtib⁹ & patiẽtibus elemeta eſſentiã ſuã obtinuiſſe tradit? An Galen⁹ velit elemẽta habere eſſẽtiã ſuã,nõ ſolũ à materia&forma,verũetiã ab iis q̃ à ſenſib⁹ iudicãtur pficere eſſẽtiã elemẽtorũ: cũ

Primæ qualitates ſunt formæ eſſentiales elementorum.

C.6.

Elemẽta quo modo eſſentiã ſuã obtineãt à primis qualitatibus.

verò ſenſus iudicet elementa perfici à qualitatibus agentibus & patientibus, non dubitauit pronunciare elementa à qualitatibus agentibus & patientibus obtinere eſſentiam ſuam. Altero modo reſpondere poſſumus, cum ſæpenumero rerum naturæ & partes eſſentiales nominibus careant, vtimur in eis explicandis vocabulis accidẽtium, quæ notiora nobis ſunt, & ſenſui magis familiaria, à quibus oritur cognitio mentis. Ignis itaque à forma propria habet eſſentiam ſuam, à calore verò & ſiccitate habet perfectionem quãdam aſcititiam. Quibus ſanè duabus qualitatibus inter ſe iunctis, perſpicuè cognoſcimus ignem ab aliis elementis eſſe diſtinctum. Eodémque modo aqua à propria forma eſſentiam ſuã ſortita eſt, à frigore verò & humore, perfectionem aduentitiam. Quibus ſanè duabus qualitatibus vinctis, euidenter percipit ſenſus aquam ſecretã eſſe ab omnibus aliis elementis. Idémq; de aere terráque dicendũ. Nunc quæramus an quatuor humores, eſſentiam ſuam obtineant à qualitatibus primis. In quo breuis oratio nobis ponenda erit, ſi quæ de elementis dicta ſunt, rectè intellligãtur. Dicimus itaque humores non habere eſſentiam ſuam à quatuor illis qualitatibus, ob eas, quas attuli de elementis, rationes. Sed ab illis habent, & vt aduentitio quodam modo perficiantur, & vt ab aliis euidentisſimè internoſcantur. Sanguis ergo habet eſſentiam ſuam à propria forma eſſentiali, à calore autem & humiditate habet, & vt aduentitio quodam modo perficiatur, & vt à reliquis tribus humoribus, illis duabus vnà iunctis qualitatibus, internoſcatur. Simili

Elementa eſſentiã ſuã habent à ꝓpria forma.

Humores nõ habẽt eſſẽtiã ſuã à primis qualitatibus

Humores eſſentiã ſuã habent à propriis formis.

ter pituita eſſentiam ſuam habet à propria forma eſſentiali, à frigore verò & humiditate habet, & vt aduentitio quodam modo perficiatur, & vt à reliquis tribus humoribus, beneficio illarum duarũ qualitatum vnà iunctarum, diſtinguatur. Idem de vtraque bile dicendum eſt. Sed quoniam, quæ ſit forma eſſentialis tum ſanguinis tum pituitæ reliquorúmque humorum, nos latet, qualitates verò agentes & patientes illorum nobis cognitæ ſunt, idcirco factum eſt, vt humores ab illis qualitatibus eſſentiam ſuam obtinere, Galenus pronunciauerit. Iam breuiſſimè exponamus, an tempeſtates anni, eſſentiam ſuam omnino habeant ab illis quatuor qualitatibus. Exiſtimamus itaque non habere, ſed totam eſſentiam ipſarum quatuor anni tẽpeſtatum, poſitam eſſe in motu corporum ſuperiorum, ſolis præſertim. Nam acceſſu & receſſu ſolis, tẽpeſtates gignuntur. Habent verò ab illis vt & perficiantur certo quodam modo, & inter ſe diſtinguantur, quemadmodum elementa & humores. Tempeſtates autem non habere eſſentiam ſuam à qualitatibus primis, hinc intelligi poteſt, quia æſtas eã haberet à calore & ſiccitate ita vt ſi alterutra deeſſet, ſtatim deſineret æſtas, atqui Hyppocrate teſte, æſtas calida & humida eſſe poteſt, & tamen non deſinit eſſe æſtas, non habet ergo æſtas eſſentiam ſuam à calore & ſiccitate. Eodémque modo hyems debet eſſe frigida & humida, at aliquãdo eſt frigida & ſicca. Quaꝑpter abũdè explicatus à nobis eſt hic Galeni loc⁹, quo tradit & mũdi elemẽta, & animaliũ humores, & tẽporũ tẽpeſtates eſſentiã ſuã obtinere à primis qualitatib⁹

Tempeſtates non habẽt eſſentiam ſuã à primis qualitatibus

Tempeſtates habent eſſentiam ſuam à motu ſolis.

καὶ τέ ἐστι καὶ ἀρχαὶ τῶν ἐν ἡμῖν.

Atque componentia ſunt, principiaque eorum, quæ ſunt in nobis.



Ertia ſimilitudo iis verbis ſubiecta eſt. Cuius tractatio talis poterit eſſe: quẽadmodũ elemẽta mũdi & tẽpeſtates anni, ſunt principia eorũ quę ſunt in nobis, ita & quatuor humores. Verũ vt hic locus intelligatur perfectè, nobis primũ dicendum erit, quæ & quot ſint ea, quæ inſunt in nobis: deinde quomodo & elementa & tempeſtates, & humores, eorũdẽ ſint principia: poſtremo quid interſit inter συντιθὲν & ἀρχὴν. Hyppocrates itaque in 6. epidemiῶn tria in nobis ſtatuit, continentia, cõtenta, & impetum facientia. Quæ Galenus in primo de differentiis febriũ libro, hoc modo interp̃tatus eſt, Continẽtia (inquit) appellat, ipſas corporis partes ſolidas: contenta autem humores: impetũ verò facientia, ſpiritus. Intelligendum eſt autẽ, Hyppocratẽ vocaſſe partes ſolidas continentia, à ſolidarũ partiũ vſu, nimirũ quia veluti capacitates quędã cõtineãt, foueãt, gubernẽt, ac moderẽtur, tũ humores tũ ſpiritus. Id quod Gale. in libro quẽ inſcripſit de tremore, palpitatione, ſpaſmo, & rigore aperte iis verbis explanat, ἔστι μὲν, γὰρ τὰ συντιθέντα τὸν ἄνθροπον, ὡς ἱπποκράτης ἐδίδασκεν ἡμας, στερεὰ, ὑγρὰ καὶ πνεύματα. Μέμνηται δὲ πως αὐτῶν ὧδε. τὰ ἴχοντα λεγων, καὶ τὰ ἐνισχομενα, καὶ τὰ ἐνορμώντα. ἴσχοντα μὲν τὰ στερεὰ καλῶν, περιέχει γὰρ καὶ ἀποστέγει τὰ ὑγρὰ. ἐνισχομενα δὲ τὰ ὑγρὰ, περιέχεται γὰρ ὑπὸ τῶν στερεῶν. ἐνορμῶντα δὲ τὰ πνεύματα, παντη γὰρ

Tria ſunt in nobis.

Partes ſolidæ cur cõtinẽtia dicautur.

ἐξικνεῖται τοῦ σώματος ἐν ἀκαρεῖ χρόνῳ ῥαδίως τε καὶ ἀκωλύτως. Humores verò appellauit contenta.i. quæ continentur, ſuſtinentur, fouentur, ac gubernãtur à partibus ſolidis. Spiritus verò nominauit impetũ facĩetia, ꝓpterea quòd ſpiritus faciunt, vt animalia loco ſe moueant, ſiquidem ſpiritus & facultatem mouendi, & facultatem ſentiendi, & totam denique animam in vniuerſum corpus ferunt vt mox explicabo. Sed ſi ſpiritus, vt humores cõtinẽtur, cur eos vt humores. Hypp. nõ appellauit cõtenta? Breuiter reſpondemus ab vſu ſpiritum, eos impetum facientia appellaſſe. Nam ſpiritus ſunt cauſæ & inſtrumẽta omnium motuũ qui ſunt in animãte. Triplex autem eſt in animante motus, ſcilicet animalis, vitalis, & naturalis, effectus à triplici ſpiritu. Animalis quidẽ motus in animãte ineſt, quoniam niſi ſpiritus animalis cõtinenter per neruos fluat ad oculos, non fit aſpectus, niſi continenter fluat ad auditum non fit auditio, idemque in cæteris. Quapropter cum homines dormiunt, quoniam ſpiritus animalis à vaporibus veluti ligatur, ac impeditur ne fluat per corp⁹, nihil ſentiũt. Vitalis quidẽ mot⁹ ineſt in animali, qm̃ à corde ſpirit⁹ vitalis ꝑ arterias cõtinẽter fluit in corp⁹ vniuerſũ, vitã vnà ſecũ ferrẽdo, qua oẽs corporis partes viuere poſsĩt. Vitã autẽ ferre dicitur, qm̃ calidũ innatũ à corde fluẽs ꝙ ĩ eo ĩeſt, facit vt q̃q; corporis pars viuat. Ob eãq; cauſã Gale. cõ. 3. in 6. Epi. dixit, calidũ innatũ eſſe ſubſtãtiã facultatis vitalis. Naturalis denique motus in animali ineſt, ꝓpterea quòd ab hepate per venas ſpiritus naturalis in omnes corporis partes differtur, facultatẽ animæ alẽtẽ ſecũ-

humores cur contenta dicatur.

Spiritus cur impetum facientia nominentur.

Motus triplex in animali.

Motus animalis in animali.

Motus vitalis in animali

Spiritus vitalis cur ferat vitam in corpus vniuerſũ

Motus naturalis in animali.

ducendo. Cuius beneficio vnaqueq; pars corporis appetit alimentum naturę suæ accomodatum, attrahit, retinet, coquit, & excrementa ex coctione illa profecta, expellit, De quibus omnibus copiosissimè disseruit Galenus in libris de facultatibus naturalibus. Si quis autem scire velit quæ & quot sint, tum partes solidæ, tum humores, tum spiritus, is ita accipiat, partes solidas esse, ossa, cartilagiles, ligamenta, adipem, membranas plurimas, glandulas vasorum diuisionem explentes, venas, a terias, neruos, musculos, villos & corporis cordis, & neruorum in musculis, ventriculo, vesica, v- t ro, venis, arteriis, carnem tum quæ villos ambit & munit, tum neruosarum partium: Neruosis. n. partibus sua quædam caro est, tum viscerum vt cerebri, cordis pulmonum, hepatis lienis, renum.

Partis solidæ quæ & quot sint.

Humores autem & spiritus qui & quot sint, ex superioribus satis potest intelligi. Hactenus quæ & quot sint ea, quæ insunt in nobis, breuiter explicatum est. Sequitur deinceps vt quomodo & elemẽta mundi & humores, & anni tempestates, sint cõponentia & principia eorum quę insunt in nobis, paucis aperiamus, ab elementis mundi auspicantes. Elemẽta autẽ mũdi cõponere, principiaq; omniũ quæ sunt circũ mediũ mũdi locũ. i. terrã, in secundo de ortu & interitu, copiosissima simul ac suauissima oratione docuit Aristo. vt illud hoc loco repetere, nõ videatur necesse. Quod si verum sit, efficitur profectò, vt elemẽta mundi, sint quoque principia eorum quæ sunt in nobis, nimirum partium solidarum, humorum, atque spirituum. Quæ tria & si ex illis quatuor constent, attamen Ca.8

Elemẽta sũt principia omnium rerum inferiorum.

Elemẽta sũt prĩcipia eorũ omnium quæ sunt in nobis

inæquabili portione videntur conflata. Solidę enim partes terrenæ ſunt, atque harum aliæ magis & aliæ minus, vt Galenus in .2. de temperamentis docuit. Humores verò aquei ſunt, ſpiritus autem ignei, ob eámq; cauſam Galen. com. 5. in. 6. Epid. ſcripſit calorem innatum, aut animam eſſe, aut primum & principaliſſimum animę inſtrumentum. Sed non ſunt ignei ita, vt plenam ignis elementaris naturam retineant. Quod doctiſſimè expreſſit Ca 3 Ariſto. in ſecũdo libro de procreatione animalium, iis verbis: Omnis animæ ſiue virtus, ſiue facultas, corpus aliquod participare videtur, idque magis diuinum quàm ea quæ elementa appellantur. verùm prout nobilitate ignobilitate ve animæ inter ſe differunt, ita & natura eius corporis differt. Ineſt enim in ſemine omnium, quod facit vt fæcũda ſint ſemina, videlicet quod calor vocatur: Idque non ignis, non talis facultas aliqua eſt, ſed ſpiritus, qui in ſemine ſpumoſoque corpore continetur, & natura quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondet elemento ſtellarum. Hæc ille. Inſuper elementa mundi eſſe principia partium ſolidarum, humorum & ſpirituum, medici ferè omnes hoc modo explicare videntur. Cúm enim noſtra triplex ſubſtantia ſcilicet ſolidarum partium, humorum atque ſpirituum à calore innato diſſipata perpetuò diffluat, inquiunt ad inſtaurationem ſpirituum conſumptorum, adhiberi ſpirituoſam ſubſtantiam, vt aerem. Hoc enim certo quodam modo nutritur ſpiritus animalis, vt in libello de vſu pulſuum Galenus oſtendit. Ad inſtaurationem verò conſumptorum humorum adhibetur humida

Solidæ partes terreæ.

Humores ſunt aquei

Spiritus quo modo ignei ſint.

Triplex noſtra ſubſtantia perpetuo diffluit.

Spiritus cõſumpti reſarciuntur ſpirituoſa ſubſtãtia.

Humores cõſũpti reſarciũtur humida ſubſtantia.

Partes solidæ substantia, solida resarciuntur

substantia vt potus. Denique ad partes solidas resarciẽdas, substantia solida sumitur, vt cibus. Nũc doceamus quomodo humores sint principia eorũ quæ sunt in nobis. Galenus in 2. de facultatibus naturalibus, & initio de sanitate tuenda, duo facit principia nostri ortus, efficiens scilicet & materiale: efficiens ait esse semẽ maris, materiale verò sanguinem menstruum. Sãguinem autem menstruũ in secundo de elementis, docet non esse vnum & simplicem, quanquam vnus & simplex esse videatur. Quod lactis similitudine ostẽdit. Nam in lacte est pars alia sũmè serosa & tenuis, alia summè crassa ex qua fit casus. Hæ autem donec inter se tẽperatæ essent, lac inter caseum & serum medium effecerunt: Discretæ autem propriam speciem ostendũt, docentque lactis naturam, non esse vnã, sed ex contrariis & differentibus compositam. Vt igitur in lacte hoc serum est, illud caseus, ita & in sanguine aliud veluti sanies sanguinis, proportione lactis sero respondens, aliud ceu sedimentum est & fex, caseo respondens. Cum igitur sanguis non sit vnus & simplex, eodem in loco inquit Gal. naturam ex crassiore portione sanguinis menstrui, partes solidas generare, ex humidiore molliores, ex calidiore calidiores, frigidiore frigiores. Vt rationi maximè consentaneum sit, ex quatuor humoribus qui sunt in sanguine menstruo, genitas esse & partes solidas, & humores, & spiritus, qui sunt in fætu. Ergo humores sunt principia eorum quæ sunt in nobis. Nunc aperiamus quomodo anni tempestas, sit eorum quæ sunt in nobis principium quoddam Itelligen

Humores sũt principia eorũ quæ sũt in nobis.

Duo principia nostri ortus.

Sanguis menstruus non est vnus.

Lac non est vnum

Ca. 2

Tempestates sunt principia eorũ quæ sunt in nobis

dum est ergo tempestatem, seu tempus, alio modo esse principium eorum quę sunt in nobis, quã elementa & humores. Nam ex iis constant ea quæ sunt in nobis, non ex tempore. Sed tempus eatenus dici videtur eorum quæ sunt in nobis

Tempus cur sit principiũ eorũ quæ sũt in nobis.

Ca. 12. principium, quatenus sine tempore ea fieri nullo modo possunt. Aristoteles enim in quarto de rerum principiis docet, quicquid oriritur in tempore oriri, vt tempus sit mensura eorum omnium, quæ lege naturæ oriuntur ac occidunt. Si ergo id ponatur esse principium siue quo res fieri non potest, & sine tempore ea quæ sunt in nobis nullo modo fieri possint, cum non solum in tempore simpliciter oriantur, sed in hoc vel illo tempore, vt ęstate, vel vere, vel autumno, vel hyeme: efficitur proffectò vt tempus sit eorum quæ sunt in nobis principium quoddam: vt non temerè Pindarus dixerit: χρόνος ὁ παντωνπατὴρ. i. tempus omnium rerum pater. Denique breuiter explicandum: est quid συντιθὲν & ἀρχὴ inter se differant. Quod commodè fiet: si prius admoneamus hunc locum videri corruptum, atque vbi legitur συνθετά .i. composita, legendum esse συντιθέντα .i. componentia. Nam si dicamus, elementa humores & tempestates, sunt composita & principia eorum quæ sunt in nobis, quis est horum verborum sensus? At si dicamus sunt componentia & principia, verus sensus habetur. Præthereà, duo hæc vocabula, compositum & principium inter se repugnant, cùm passim in metaphisicis Aristo. doceat, ad rationẽ principij pertinere vt sit simplex, non autem com

Error in codice græco.

poſitum. Non poſſunt ergo ſimul copulari, niſi pugnantia loqui velimus. Neque mirum videri debet, ſi huius libri hic locus, & alij quidam ſint deprauati, cum reliqua Galeni opera, quæ iam à multis annis in publicam hominum lucem prodierunt, quanquam à doctiſſimis viris à multis erroribus ſint repurgata, attamen quibuſdã adhuc ſcatere videantur. Non debet (inquàm) videri mirũ, ſi hic de humoribus liber, qui tandiu latuit, & fortaſſe apud homines tum rei medicæ, tum linguæ græcæ multum ignaros, quiq́ue ſolum in fine anni 1554. in lucem eſt miſſus, multis erroribus ſit contaminatus. Hæc duo itaque vocabula ſ. συντιθεῖν & ἀρχὴ. i. componens & principium differunt hoc inter ſe, quòd quęcunque ſignificationes ſunt componentis, illæ omnes principij quoque eſſe cernantur: at quædam ſunt principij ſignificationes, quę ad συντιθεῖν legitimè accomodari nullo modo poſſũt, vt in quinto metaphy. videre licet. Aut certè hoc loco à Galeno ſpectantur, quatenus idẽ vtraque valent.

Cõponens & principium quid inter ſe differant.

Διενηνόχασι δὲ ἀλλήλων, καὶ πολλοῖς μὲν ἄλλοις, καὶ αὐτοῖς τοῖς ὀνόμασιν. Ca. 1

Differunt autem inter ſe, & multis rebus, & nominibus ipſis

Imilitudines quaſdã, eaſque quodam veluti velamine tectas, inter elementa mũdi, humores animalium, & temporum tempeſtates, attulit. Nunc quaſdam eorum inter ſe diſſimilitudines explicare decreuit. Duaſque hoc loco attingit, quarum vna à nominibus ſumitur, de qua, quoniam nemo neſcit illorum triũ alia atque alia nomina eſſe, in poſterum nihil dicet. Altera à rebus ipſis, quam diligenter perſequetur, tum quia latiſſimè patet, multæque eius ſunt partes: tum quia non eſt omnibus cognita.

Αὐτίκα γὰρ στοιχεῖα μὲν ὁ κόσμος, ἐξ ὧν ἀήρ τε, καὶ πῦρ, καὶ ὕδωρ, καὶ γῆ. Καιροὶ δὲ δι᾽ ὧν ὁ χρόνος, ἔαρ, καὶ θέρος, καὶ χειμὼν καὶ φθινόπωρον. Χυμοὶ δὲ χολή, καὶ αἷμα, φλέγμα τε καὶ ἡ μέλαινα ἐξ ὧν τὰ ζῶα σύνεστηκε, καὶ ὁ ἄνθρωπος

Prima enim elementa ex quibus conſtat mũdus, ſunt aër, ignis, aqua, & terra. Tẽpeſtates autem ex quibus tempus conſtat, ſunt ver, æſtas, hyems, atque autumnus. Humores verò ſunt bilis, ſanguis, pituita, & nigra bilis, ex quibus animantia componuntur & homo.

PRima eſt diſſimilitudo eorum quæ à rebus ſumuntur. Nam ea reipſa diſſimilia ſunt ac differunt, quæ aliud atque aliud totum conſtituunt: at aliud totum cõſtituitur ab elementis, nimirum mundus: & aliud à tempeſtatibus, nempè tempus: & aliud ab humoribus, nimirum animal ſanguine preditum: efficitur igitur, vt & elementa, & tempeſtates, & humores reuera inter ſe differant. Atque in iis verbis, tria pronunciata cõtinētur, quæ ordine explicabimus, ſi prius illud admoneamus, verba greca traiecta & mutata videri, nec ordinem naturalem habere. Nam cũ legitur, ἀντίκα γὰρ ϛοιχεῖα μὲν ὁ κόσμος, ἐξ ὧν ἀὴρ τε, ita videtur legendum ἀντίκα γὰρ ϛοιχεῖα μεν ἐξ ὧν ὁ κόσμος ἀήρτε, Ita autem legendum eſſe, duo ſequentia pronũciata me admonuerũt, cũ ſimilia omnino eſſe debeant. Adde ſi illo modo legatur, nullus planè habetur ſenſus, aut certè contortæ quædam interpretationes excogitandæ erũt, quas abhorrui & abhorreo perpetuò. Primum ergo prouinciatum eſt. Elementa ex quibus mundusconſtat, ſunt ignis, aer, aqua, & terra. Ariſtoteles in libro de mundo ad Alexandrum, mundum ita definiuit κόσμος ἐϛι σύϛημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων. λενέται δὲ καὶ ἑτέρως κόσμος, ἡ τῶν ὅλων τάξις τε καὶ διακόσμησις ὑπὸ θεοῦ τε καὶ διὰ θεον φυλαττομένη. i. Mundus eſt globus ex cælo & terra, & naturis quæ in iis continentur effectus. Dicitur autem & alio modo mundus, ordo & diſpoſitio à Deo & propter deum conſtituta. Cleomedes etiam in libro de circulari inſpectione meteororum, eodem modo mundum definitione aperuit, inquiens, mundus eſt opificium ex

Error in codice græco.

C. 2.

Mundus quid ſit

cælo terraque, necnon naturis quæ eis comprehenduntur. Ex quibus facile perſpici licet quinque eſſe elementa, cælum, ignē aerem, aquam, & terram, (cælum enim elementum appellauit Aristo. in primo de cælo) ex quibus mundus conflatur. Quæ quidem in primo de cælo appellauit partes mundi ſecundum ſpeciem. Nam partium aliæ ſecundum ſpeciem, aliæ magnitudinis dicuntur. Vt enim in homine partes ſecundum ſpeciem ſunt caput, brachia, cura, thorax, quatenus ſpecie inter ſe differunt & diſtingnntur, ſeu etiam caro, ſanguis, medulla, & aliæ quæ vulgò ſimilares vocantur: partes verò carnis, oſſis, ſanguinis ſunt & dicuntur partes magnitudinis: ita in vniuerſo, cælum, ignis, aer, aqua, & terra ſunt partes ſecundum ſpeciem: horum autem ſingulorum partes, quantitatis partes dicuntur, non eorum ſolum, ſed etiam ipſius mundi. Sed (dicet aliquis) Si quinque ſunt ex quibus mundus conſtat, cur Galenus ſolum quatuor, mētionem facit? An quia hic Galenus agit de elementis quæ vltro citroque agunt & patiuntur, quæque quatuor animantium humoribus ſimilia ſunt? Cum ergo cælum eiuſmodi non ſit, illius hoc loco nullam mentionē facere voluit. Quæret inſuper quiſpiā, ſi mūd⁹ ambitu ſuo coercet ac continet animātia, ſtirpes, plantas, lapides, & ea quæ è viſceribus terræ eruuntur, quæ vulgò dicuntur metalla, cur Galenus ex iis quoq; mundū nō pronūciauit cōſtare? An quia partium mundum integrum efficientium, aliæ ſint principales & neceſſariæ, alię minimę, nec neceſſariæ, hîc autem agat de partibus principali-

C. 8.

Ca. 1

Cælum eſt elementum

Partes ſecundum ſpeciem in homine

Partes magnitudinis in homine

Partes ſecundum ſpeciem & magnitudinis in mūdo

Quæſtio

Quæſtio alia

Mundi partes aliæ maximæ aliæ minimæ.

bus, iiſque vltro citròque agentibus, non de minimis, quibus detractis non deſinit quidem mundus eſſe, additis verò, illius augetur decor atque ornatus. Sequitur vt alterũ pronunciatum examinemus, quod erat: tempus cõſtat ex quatuor tempeſtatibus, ſcilicet, vere, æſtate, autumno, atque hyeme. Tempus, vt definiuit Ariſto. in quarto de rerũ principiis, eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius, id eſt, tempus eſt menſura motus ſecundum partem priorem, & poſteriorem ipſius motus: vel, tempus eſt menſura quatenus applicatur parti antecedenti & parti conſequenti ipſius motus. Temporis autem partes. Ariſto. ſolertiſſimus rerum naturæ inueſtigator, in eodem 4. ſtatuit, præteritum, præſens, & futurum, cum diſputationis gratia, tempus aut nõ eſſe omnino, aut vix & exiliter eſſe, hoc modo doceret. Alia tẽporis pars præteriit, nec eſt, alia futura eſt, & nondum eſt: quod autem ex iis conſtat quę nulla ſunt, fieri non poſſe videtur, vt in rerum numero reponatur. Quare tempus non eſt. Ad hoc argumentum nobiles Ariſtotelis interpretes hoc modo reſponderunt. Totũ duplex eſt, & ꝙ permanet, vt lignum vel lapis: & quod ſuccedit, vt motus & tẽpus. Totum quod permanet requirit partes quæ ſint ſecundum ſe pfectę: Totum verò quod ſuccedit, requirit vt partes eius nõ habeãt eſſentiã ſecũdũ ſe abſolutã, ſed vt copulẽtur inter ſe aliquo cõmuni termino, qui ĩ aliqua categoria habeat locũ. Hac diſtinctione poſita, reſpondent tempus eſſe totum in ſucceſſione poſitum. Et quamquam eius partes non habeant eſſe ſecundum ſe totas, ad nectũ

Secundi pronunciati explicatio.

C. 11.

Tẽpus quid ſit.

Tẽporis partes tres.

Ca. 10.

Totũ duplex

Totum quod manet.

Totum quod ſuccedit.

nectuntur tamen interſe communi termino in aliqua categoria repoſito. Nã pręteritũ cõiungitur cum inſtanti tanquam cum fine, futurum verò cũ eodem tanquam cum ſuo principio. Cum ergo Ariſtotelis Ariſtoteleorumque omnium opinione, temporis partes ex quibus cõſtet, ſint pręteritum, inſtans, atque futurum: cur Galenus ait partes ex quibus conſtat tempus, eſſe ver, ęſtatem, autumnum, hyememque? An quia Galenus hoc loco per tempus intelligat annum: anni autem partes ſunt ver, æſtas, autumnus ac hyems? Nam aliud eſt tempus philoſophorum, & aliud medicorum. philoſophorum illud eſt, quod ſuperiꝰ à nobis eſt explicatum. Medicorũ verò non ita ſimpliciter conſyderatur, ſed contrahitur quibuſdam agentibus & patientibus qalitatibus, vt tempus frigidum & humidũ dicant, vel calidum ſiccum, vel alio aliquo modo. Nam pro mutatione varietateque temporũ, varia diuerſaque medicamenta exhibere ſolent. Actionem enim, non contemplationem ſolam medici propoſitam habent. Iam tẽpus eſt, vt tertium pronunciatum, quod erat, humores ex quibus componuntur animantia & homo, ſunt bilis, ſanguis, pituita, nigraque bilis, aperiamus. Quoniam autem quid ſit humor, quotq; ſint, & dictum eſt, & dicetur vberius, idcirco his prætermiſſis, explicemus cur Galenus abſolutè non dixit ex quibus componuntur animãtia, ſed dixit, ex quibus cõponuntur animantia & homo. Hoc itaque ob eam cauſam dixiſſe exiſtimo, quia non eſt verum animantia omnia ex quatuor humoribus conſtare, cum multa animantium gene-

Tempus eſt totum in ſucceſſione poſitum.

Quęſtio

Tẽpus ſumitur pro anno

Tẽpus philoſophorum.

Tempus medicorum

Tertij pnũciati explicatio.

ra carere ſanguine in primo de hiſtoria animaliũ docuerit Ariſto. Quoniã ergo animal nimis latè patebat, idcirco adiecit, & homo, vt admoneremur, nõ quæuis animalia eſſe intelligẽda, Sed ea quæ ſanguinẽ participarẽt, quẽadmodũ & homo: Aut fortaſſe quia quatuor humores ſunt magis ꝑſpicui in homine, q̃ in alio animãte, vt ex homine cætera ſimilia animalia ſint cognoſcenda, vt Gale. Ariſtotelẽ in libro de ſõno & vigilia ſtudioſè ſit imitatus. Ibi enim Ariſto. cũ docturus eſſet modũ quo animãtia omnia dormirẽt, & expgefierẽt, inquit quoniã magis perſpicuũ eſt quomodo homines dormiãt & à ſomno excitẽtur q̃ cætera animãtia, ob eã certè cauſam ſi explicatus fuerit modus ortus ſomni in homine, ſimilẽ in cæteris animãtibus intelligere oportebit. Eodẽ itaq; modo ſi perſpectũ ſit, hominẽ cõſtare, ex quatuor humorib⁹, facilius etiã intelligetur animãtia cætera ex quatuor humorib⁹ eſſe conflata, aut ex iis quę quatuor humoribus proportione quadã reſpondeant. Nãque Galenus cum in 2. de elementis libro ex Hyppocratis ſententia, cõmunia omniũ rerũ elementa feciſſet, calidũ, frigidũ, humidũ, & ſiccũ, deinde nõ hominis modo, ſed etiã animaliũ ſanguinẽ habẽtiũ ꝓpria principia fecit, ſãguinẽ, pituitã, & vtrãq; bilẽ. In. 1. autẽ eiuſdẽ operis tradit filamẽta, mẽbranas, carnẽ, oſſa, reliquaſq; ſimilares partes, generari ex ſãguine, pituita, dupliciq; bili atra & pallida. Quatuor vero hoſce humores ex cibo potuq; oriri. Potũ verò & cibũ ex igne, aere, aqua, & terra ꝓuenire: Hęc deniq; quatuor à materia & forma originẽ ducere. Ex quibus planũ factũ eſſe poteſt,

Ex homine reliqua animantia ſunt cognoſcenda.

Elemẽta omnium rerum.

Elemẽta animalium ſanguinem habentium.

Ca. 2

C. 7.

Ca. 1

Ca. 14.

animantia & hominē ex quatuor humoribus cō-
poni. Denique illud admoneamus quod Galenus
docuit commento.5.in lib.6.Epide.cum hic & a-
libi passim dicit χολὴν absolutè & absque alia adie-
ctione, pallidam, rarius flauam esse intelligendam.
Ca. 10. Nam bilis atra, χολὴ μέλαινα cum adiectione effer-
tur. Id quod etiã Gal.in libro de tumoribus pre-
ter nostram testatur.

Bilis absolute pronunciata quid significet.

Bilis cum adiectione.

ὑγρότητι δὲ πάντα συγκέκραται καὶ θερμότητι, ξηρότητί τε καὶ
ψυχρότητι.

Omnia autem humiditate, calore, siccitate, & frigore contemperantur.



Vartã similitudinē ponit hoc loco,
q̃ est, & elementa mũdi, & animãti-
um humores, & tempestatates tem-
porum humiditate, calore, siccitate,
& frigore contemperari. Quoniam
autem quæ hic dicuntur, & dicētur postea à Gale
no, perfectè intelligi non possunt, nisi quid sit tē-
peramentum, quotque sint temperamenti differē
tiæ, teneatur exactè, idcirco quę Galenus in primo
de tēperamentis libro, copiosissima oratione do-
cuit, hîc paucissimis perstringã. Tēperamentũ er-
ergo, quēadmodũ ex 1.de tēperamentis colligitur,
est mixtio, ex quatuor elemētis igne, aere, aqua, ter
raque, seu ex calido, frigido, humido, ac sicco effe-
cta. Temperamentũ autē prima fronte diuiditur
in temperamentum æquabile, quod ibidem Ga-
lenus aliquãdo εὔκρατον, interdũ σύμμετρον nominat,

Temperamentum quid sit.

& in temperamentum inæquabile. Neque hoc ſecundum dicendi genus tibi videatur abſurdum. Nam ſi temperamentum ſit mixtio, nec abſurdũ ſit dicere mixtionem itemperatã, certè temperamentum intemperatum dicere, nõ erit à ratione alienum. Illud verò Galenus duplex facit, alterum æquabile ſimpliciter & abſolutè, alterum autem in ſingulis generibus. Temperamentum æquabile ſimpliciter, eſt mixtio ex elemẽtis effecta, in medio planè vtrorumque cõtrariorum poſita, ita vt non ſit magis calida quã frigida, aut humida quã ſicca. Galenus autem dicit huiuſmodi temperamẽtum eſſe, in quo omnino eſt æqualis elementorũ portio, quod latini appellarunt temperamentum ęquabile ad pondus. Ego autem dicendum putarem eſſe id in quo æquales ſunt primarum qualitatum vires. Nam ſi referas ad ęqualem portionem elementorum, aut elementa in ea mixtione erunt ęqualia pondere, aut erunt æqualia magnitudine. Vtro modo æqualia ponas, certè erunt inæqualia viribus, vt perſpicuum eſt cuique in philoſophia benè verſato. Quare, ea mixtio eſſet inæquabilis. At temperamentum æquabile ſimpliciter, poſitũ eſt id eſſe, in quo frigus non ſuperat calidũ, & contra: Itemque humidum non vincit ſiccum, contraque. Niſi fortaſſe Galenus per ęqualem elementorum portionem, intelligat, æqualem vim primarum qualitatum Hoc autem temperamentum æquabile ſimpliciter, Galenus in primo de ſanitate tuenda libro, ait cogitatione potius vſurpari, quã reuera conſter, & in rerum natura reperiatur. Tẽperamentum verò æquabile in ſingulis generibus

Temperamẽtum æquabile ſimpliciter

Temperamẽtũ æquabile ſimpliciter eſt ſolum cogitatione.

est mixtio ex quatuor elementis effecta, in qua est ea elementorum æqualitas & mediocritas, quę ac commodata est naturæ animantis & stirpis, & cu iusuis alius rei. Quod certè temperamentum me dici huius temporis appellarunt temperamentum æquabile ad iustitiam, indicare volentes naturam in rebus procreandis iustissimam fuisse, quę in tẽ peramento hominis eam elementorum mediocri tatem adhibuerit, ex qua prodirent actiones quæ homini conueniunt. Et in temperamento canis collocarit eam elementorum æqualitatem, ex qua manarent actiones naturæ canis conuenientes, nempè esse animosissimum ad venationes & tutellas, & erga domesticos mitissimũ. Et in temperamento ficus eam elementorum æqualitatẽ posuerit, ex qua proficiscerentur actiones ptinentes ad naturam ficus, quę sunt, optimos plurimosque proferre ficus. Vnde Galenus in primo de elementis admonet nos cognoscere posse ex actionibus muneribusque an optimè pro sua natura vnumquodq; se habeat. Si enim legitimæ fuerint actiones, optimè illud affectum esse deprąhendemus: sin verò deprauatæ, contra. Temperamentum autem inæquabile est mixtio ex elementis effecta, in qua non est absoluta æqualitas virium elementorum, nec æqualitas quæ conuenit vnicuique rerum generi, sed aut vnius, aut duorum elementorum exuperantia inest. Si vnius elementi exuperantia adsit, hoc quatuor modis cõtingere, potest: Aut. n. in eo temperamento calidum superat frigidũ, ita vt non sit magis humidum quam siccũ: Aut frigidũ superat calidũ, ita vt nõ sit magis hu-

Temperamẽtũ æquabile in singulis generibus quid sit.

Temperamẽtum æquabile ad iustitiã

Ex actionibus quoque cognoscitur an rectè se habeat.

Tperamentum inæquabile quid

Teperamen inæquabilia simplicia sũt quatuor.

midum quam ſiccum: Aut humidum ſuperat ſiccum, ita tamen vt non ſit magis calidum quam frigidum: Aut ſiccum vincit humidum, ita tamen vt non ſit magis calidum quam frigidum. Atque hę quatuor temperamentorum differētię, ſimplices nominãtur. Si autem duorũ elementorum exuperãtia adſit, hoc etiã quatuor modis vſuuenire poteſt. Nã aut in eodẽ tẽperamẽto calidũ ſuperat frigidũ, & ſiccũ ſuperat humidũ: Aut calidũ vincit frigidũ, & humidũ vincit ſiccũ: Aut frigidũ vincit calidũ, & humidũ vincit ſiccũ: Aut frigidũ dominatur calido, & ſiccũ dominatur humido. Quæ ſanè quatuor tẽperamẽtorũ differẽtię, cõpoſitę dicũtur. Ex quibus perſpici poteſt, decẽ eſſe tẽperamenti differẽtias, duas videlicet æquabiles, & octo inęquabiles. Galenus verò nouẽ ſolũ facit, tẽperamentũ æquabile ſimpliciter, & tẽperamẽtũ æquabile in ſingulis generibus, ſub vno & eodẽ cõprehẽdens. Verũ & reliqua octo ſub eodem generali cõprehẽdere poſſemus, atq; ita duas tantũ tẽperamenti differẽtias ſtatuere. Niſi fortaſſe nouẽ ſolũ faciat, prætermiſſo temperamẽto æquabili ſimpliciter, cum vſurpetur cogitatione potius, quã reuera in hac rerũ vniuerſitate reperiatur. His ita conſtitutis, ac illis quidẽ pnéceſſariis ad futurã diſputationẽ, illud hoc loco accuratè animaduertẽdũ eſt, vocabulũ hoc συγκέκρατται paulo lati⁹ vſurpari à Galeno, nimirũ quatenus ſignificat tũ temperantur, tũ cõponũtur, quorũ poſteri⁹ priore latius patet. Nam ſi temperatũ ſignificat mixtum eſſe ex calido, frigido, humido, & ſicco: & elementa ſingula ex iis quatuor, nõ ſint mixta, efficitur profectò vt

Temperamẽta inæquabilia compoſita ſunt quatuor

Temperamẽtorum differentiæ decem.

Elementa non ſunt temperata ſed compoſita.

eleméta non ſint tẽperata. At cõpoſita ſunt omnia ex materia & duabus qualitatibus primis. Humores verò ac tempeſtates, temperata mixtà ve ex illis quatuor cernuntur. Quæ ſingula quodnam temperamentum ſint ſortita, in progreſſu ſuo loco ſpeciatim docebo. Differentiarum temperamenti, hoc ſit ſchema, ad memoriam adiuuandã.

- Temperamentum.
  - æquabile
    - Æquabile ſimpliciter & abſolutè
    - Æquabile in ſingulis rerũ generib⁹.
  - inęquabile.
    - in vno
      - calidum
      - frigidum
      - humidum
      - ſiccum.
    - in duob.
      - Calidum & ſiccum,
      - Calidum, & humidum
      - Frigidũ & ſiccum
      - Frigidũ & humidum.

Αἷμα γὰρ μὲν καὶ ἀὴρ, καὶ μὲν δὴ καὶ τὸ ἔαρ, ὑγρὰ καὶ θερμά, κᾂν ἄλλοις ἄλλως περὶ τοῦ ἀέρος δοκῇ.

Sãguis enĩ & aër, & ver, ſũt calida & humida: q̃quã aliis aliter de aere videatur.


Nductione probat, & elementa, & humores, & tempestates, temperari humiditate, frigore, calore, ac siccitate. Atque cum inquit sanguinẽ, ver, & aerem esse calida & humida, indicat apertè, ad quamnam temperamenti differentiam illa tria sint referenda, nimirum ad differentiam temperamenti inæquabilem compositam. Quod de sanguine & vere, certum videri potest, cum hæc duo ex calore, frigore, humiditate, & siccitate cõstent, ita tamen vt in vtroque calidum & humidum dominentur frigori & siccitati. De aere verò meritò potest dubitari, cũ ex illis quatuor non confletur ita, vt duo, reliqua duo superare dicãtur. Sed cum temperatum esse, accommodatur ad aera & cætera elementa, idem valere, quod compositum esse, vt paulo antè diximus, intelligendum est. Cæterum quæ hoc loco à Galeno dicuntur, non carent maxima dubitatione, suntq; cognitu pernecessaria iis omnibus, qui verè, nõ superficietenus, & mederi, & philosophari volunt. Quocirca diligentissime hæc omnia inuestigabimus, tresque tractabimus quęstiones, primam, an sanguis sit calidus & humidus: Alteram an aer sit calid⁹ & humidus. Postremã de vere eodem modo inquiremus. Quantum ad primam attinet, perspicuitatis & memoriæ adiuuandę gratia eam ita tractabimus, vt primum defendamus sanguinem esse temperatum: Secundo verò loco rationibus doceamus non esse calidum & humidũ: *Cõ. 36.* tertio autem dissoluamus omnes eas & Hyppocratis & Galeni contrarias authoritates, quæ san-

Temperamẽtum interdũ vsurpatur ꝑ composito.

Prima quæstio.

gu inem calidum & humidum ſtatuere videntur.

Sanguinem itaque temperatum eſſe, Galenus in commentariis quos in primum Hypp. de natura humana ſcripſit, apertè teſtatur. Cuius verba græca ſubiiciam, quò his quę dicētur à me, maior fides adhibeatur. Huiuſmodi autē ſunt, καὶ δῆλον ὅτι καὶ τὸ αἷμα κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον οὐ θερμὸν καὶ ὑγρὸν, ἀλλ' εὔκρατον, hoc eſt. Atque illud quidem perſpicuum eſt, ſanguinem ob eandem rationem non calidum & humidum, ſed temperatum eſſe. & paulo poſt in eodem libro non ſolum temperatum, ſed temperatiſſimum, iis verbis affirmat: αὐτὸ γὰρ τὸ αἷμα τὸ δοκοῦν εὐκρατότατον, λέγεται τοιοῦτον, ὅτι μηδὲν ἐπικρατεῖ μεγάλως ἐν αὐτῷ τῶν ἐναντίων ἀλλήλοις, μήτε τὸ θερμὸν τοῦ ψυχροῦ μήτε τὸ ψυχρὸν τοῦ θερμοῦ, μήτε τὸ ὑγρὸν τοῦ ξηροῦ, μήτε τὸ ξηρὸν τοῦ ὑγροῦ, ἐπεὶ τοίνυν δεῖται καὶ τὸ αἷμα αὐτὸ τῶν τεττάρων ποιοτήτων, ὑγρότητος καὶ ξηρότητος, καὶ θερμότητος καὶ ψυχρότητος, εὔδηλον ὅτι καὶ τῆς τῶν ἄλλων δεήσεται μίξεως. καὶ διὰ τοῦτο τὸ εὐκρατότατον αἷμα μεθέξει τι καὶ φλέγματος, καὶ χολῆς ξανθῆς καὶ μελαίνης. Hoc eſt. Ipſe enim ſanguis, qui videtur temperatiſſimus, dicitur talis, propterea quòd nullum contrariũ in ipſo magnopere dominatur, neque calidum frigido, neque frigidum calido: neq; humidum ſicco, nec humido ſiccum. Quoniam igitur & ſanguis opus habet quatuor qualitatib⁹, humiditate, ſiccitate, calore & frigore, perſpicuũ quidem eſt, quod & aliorum humorum mixtione opus habebit. Atque ob hanc quidem cauſam, ſanguis cum ſit temperatiſsimus, aliquid & pituitæ & bilis tum flauæ tum nigræ participabit. Cæterum non ſolum authoritate, verum etiam ratione à ſenſu ſumpta, temperatũ eſſe ſanguinem do-

Com.39.

Sanguis est dulcis. rere possumus.sensu. n.percipimus sanguinẽ dulcem esse,id quod & Gale.in libello de atra bile in *Dulcedo est à moderato calore.* scripto testatur.Dulcedo autẽ in vnoquoque corpore inest à moderato calore,teste Galeno in 4. Cap. 10. de simplici.medi.fa.sanguis ergo tẽperatus sit,necesse est.In secundo etiam de facultatibus naturali Ca. 8 bus,inquit,sanguis fit à moderato calore,bilis verò ab immodico. Insuper in 2.de temperamentis inquit,sanguis est humorum optimus & maximè C. 3. proprius atq; domesticus: optimus autem nullo modo esse posset,nisi etiã esset temperatus.Ex quibus omnibus perspici facilè potest,sanguinem tẽ*Sanguis non est calidus & humidus.* peratum esse.Nunc rationibus demõstremus sanguinem non esse calidum & humidum.Sanguis à natura est institutus ad nutriendas omnes corporis partes, si placita Aristotelis in tertio de partib⁹ animaliũ sequi velim⁹: aut certè ad sanguineas, vt Ca. 5 in primo de faculta.naturalib⁹ Gale.placet:sangui neę autẽ partes omniũ sunt maxime tẽperatæ:igitur sanguis reliquorũ humorũ nutriẽtiũ reliquas Ca. 2. partes,temperatissimus sit necesse est.At temperamentum calidum & humidum omnium temperamentorum est pessimum,cum Hypp.in 3.Epide. inquiat,si totus annus calidus & humidus fuerit, hunc necesse est magnã succedere pestilentiã.Sãguis ergo calidus & humidus nullo modo est dicendus.Præterea Gale. 1. de tẽperamentis inquit: Quod putredini obnoxium est, id pessimum est tẽperamẽtũ,temperamẽtũ autẽ calidũ & humidũ putredini est obnoxiũ,igitur pessimũ,Quare sanguinis temperamentum esset pessimũ, atque hoc certè modo naturæ sanguineæ pessimę essent.Cõ

ſtat verò eas omnium aliarũ eſſe optimas. Ad cõfirmandum autem temperamentum calidũ & humidum putredini eſſe obnoxium, adhiberi poteſt
Ca.2 illa Ariſto. in 4. meteororum authoritas, qui ignẽ ob eam cauſam non putreſcere ait, quoniam omnis humiditatis eſt expers. Rurſus Galenus lib. 5.
Ca. vlti. de ſanita. tuen. humidum & calidum temperamentum, fluxionum vitiis obnoxium oſtẽdit. Poſſem alias penè innumerabiles Galeni authorites ad hoc confirmãdũ proferre, quas ſtudio breuitatis omnes pretermitto, iiſque paucis contenti ſimus. Iã explicemus ac diſſoluam⁹ eas authoritates quę noſtræ ſententiæ contrariæ videntur. Galenus itaque in ſecundo de cauſis morborum, ſanguinem calidum & humidum eſſe apertè tradit, inquiens.

Obiectiones ſanguinẽ calidum & humidũ docẽtes.

C.4. Flaua bilis poteſtate eſt calida & ſicca: atra verò ſicca & frigida: ſanguis calidus & humidus, pituita frigida & humida. Et primo de facultatibus na-
C.9. turalibus idem aſſeuerat, idem in primo de elementis, & aliis ferè innumerabilibus locis. Hyppocrates etiam in libro de natura humana ſanguinem calidum & humidum ſtatuit. Ariſtoteles etiam libro de hiſtoria animaliũ tertio, inquit. Nec
C.19 admodũ craſſ⁹ nec admodũ tenuis eſt ſanguis qui optimo habitu cõſtet: humidus & calidus eſt ſemper, quãdiu in corpore animalis cõtinetur. Ad has omnes authoritates reſpondemus, eas veriſſimas eſſe, ſi rectè intelligantur Ad omnes, inquã, reſpõdemus vna & eadẽ ratione, hunc in modũ. Sãguis duobus modis conſyderari poteſt, vno per ſe & ex ſua natura, altero comparatione ad reliquos humores facta. Si ex ſua natura, & per ſe con-

Obiectionũ ſolutiones.

Sanguis duobus modis spectar.

syderetur, certè est temperatus vt defendimus quia in eo nulla est alicuius, vel aliquarum primarum qualitatum magna exuperantia. Sin verò spectetur sanguis collatus cum aliis humoribus, certè erit calidus & humidus, cum hæc duo simul, in solo sanguine, non autem aliis humoribus, nec partibus, nisi sanguineis, appareant. Cum ergo Hyppo. Aristo. & Galenus aliquādo, sanguinem calidum humidumque ponunt, hoc certè faciūt sanguinis collatione facta ad reliquos humores & partes, vt, ossa, cartilagines, non autē sanguineas. Non secus atque ver, quod per se spectatum Galenus facit temperatum, collatum verò cum aliis tempestatibus, calidum & humidum veteres statuerunt. Sed hoc loco duæ nobis occurrūt explicatu difficillimę Galeni authoritates, quibus sanguinem calidissimum esse contendit. Altera est in primo de temperamentis, vbi inquit: sanguis est calidissimus, à corde. n. suum accipit calorem. In libro verò de formatione fœtus, sic scripsit. Nullum animal exangue est manifestè calidū, neque manifestè calidum exangue. Nam sanguini qui est in venis, absq; cordis calore, tepida quædam caliditas insita est, & propterea etiam in iocinore. Cor verò quasi quendam ignis focum, animalia sortita sunt. Sine corde. n. sanguineorum animalium calor persimilis est calori, qui æstatis tēpore in domibus sentitur. Sed quemadmodū domus incenso in ipsa igne, calidior redditur, ita & animalium corpus ex corde maiorem calorem acquirit, quamuis sit, qui venis & iecori insitus est, & sanguini, videlicet in ipsis contento. Hæc Gale

Ca. vlti.

ver spectatur duobus modis.

Obiectio ostendens sanguinem esse calidißimū.

nus. Cum itaque hîc calidiſsimum ſanguinem faciat, ſuperius verò eundem temperatũ facere oſtendimus, certè Gale. non videbitur ſibi conſtare. Si Galeni placita teneas, cognoſces ſibi conſtare. Nam Galenus venas & hepar ſanguinis officinã in ſexto de placitis Pla. & Hip. ipſumq́ue iecur vniuerſam ſanguinis ſpeciem abſoluere, cõtendit. In li. autem de fœtus conformatione, ſanguinem in iecore generatũ, maiorẽ quẽdam calorẽ accipere à corde ob eã, vt exiſtimo, cauſam tradit, aut vt ſanguis magis perficiatur, aut vt conſeruetur, aut vt ſanguis in poſtremas corporis partes latus, calorem ſuum retineat, quem fortaſſe à ſolo iecore retinere non poſſet, niſi adiutus à corde, aut vt hæc omnia ſimul vſu veniant. Atque ex iis duob⁹ Galeni locis, ſanguinem duobus modis conſyderari poſſe, colligere aliquis poſſet, vno quatenus à iecore ſanguis formam accipit, altero quatenus maiorem quendam calorem à corde ſumit, ob illas tres, quas attuli, cauſas. Si ſpectetur (diceret aliquis) qua ex parte iecur ſanguinis formã abſoluit ſanguis temperatus eſt. Sin vero ſpectetur qua ex parte cor eum calidiorem efficit, profectò non tẽperatus ſed calidiſſimus, cum calor in eo tres reliquas qualitates ſuperet, dicendus eſt. Quo certè modo Gale. in libro de formatione fœtus ſanguinem conſyderabat. Verum hæc diſtinctio atque ſolutio fortaſſe acutis ingenioſisq́ue hominibus, minimè ſatisfaciet. Nam ſi guſtes ſanguinem, etiam à corde calefactum, dummodo ſecundum naturam ſe habeat, dulciſſimum eum eſſe deprehendes, igitur temperatiſsimus erit, cum dul-

Sanguis in venis & hepate generatur.

Sanguis in hepate generatus accipit maiorem calorem à corde

cia tēperata esse superius ex Galeno docuerimus. si sanguis est temperatissimus, non igitur calidissimus. Præterea cum cōtinenter vniuersus sanguis calefiat à corde, profectò nunquam erit sanguis actu temperatus, sed sola cogitatione. Altera ergo distinctio nobis excogitanda erit. Dici itaque posse existimo, cum Galenus in primo de temperamentis facit sanguinem callidissimum, non tamen iis verbis indicare eum non esse temperamentū, si eius sententia planè intelligatur. Nam ait, calorē suū accipit à corde, ita vt à corde perficiatur Sanguis ergo à corde perfectus, conferri potest cum sanguine & in venis mesaraicis & in hepate generato. Sic collat⁹, dicetur calidissimus, quia sanguis & in mesaraicis venis & in iecore, dummodo naturali habitu sint prædita, est paulo frigidior, ac pituitosior, & tēperata natura paulo inferior: à corde verò calidissimus efficitur. i. cū sit frigidior paulò, ac pituitosior, à corde, beneficio caloris, ad tēperatam naturam reuocatur. Quemadmodum ergo sanguis cum lacte, pituita, atraque bile & similibus comparatus, omnium horū dicitur calidissimus, quamquam per se spectatus sit temperatus, ita si conferatur, quatenus perficitur à corde, cum sanguine in venis mesaraicis & hepate elaborato, videbitur calidissimus, etiam si ex sua natura sit temperatus. Quam quidem sententiam Galenus visus est habuisse in ea verborum serie, quam paulo superius positam, ex libro de conformatione fœttus transcripsi. Hactenus ergo sanguinem esse temperatum, non calidum & humidum, docuimus, interim authoritates, quæ sententiæ no-

Sanguis etiā si calidissimus dicatur, non tamē desinit esse temperatus.

Quid sit sanguinē venarū & hæpatis calidissimum fieri à corde.

ſtræ contrariæ videri poſſent, explicantes. Iam tẽ pus eſt, vt orationem noſtram, ad alteram queſtio nem, qua quærebamus an aer eſſet calidus & humidus, conuertamus. Ariſtoteles in 2. de ortu & interitu aera calidum & humidũ eſſe demonſtrat. Nam ponit quatuor primas qualitates, calorem, frigus, humorem, & ſiccitatem. Ex iis ſex eſſe con iugationes: primam ex calore & ſiccitate: ſecundã ex calore & humiditate: tertiã ex humiditate & frigore: quartam ex frigore & ſiccitate: quintã ex ſiccitate & humiditate: ſextã ex calore & frigore Quarũ duæ poſtremæ ſolũ cogitatione finguntur, in rerum autem vniuerſitate non extant, ſiquidem nihil ſimul & calidum & frigidum eſt, nihilq́ue ſimul humidum & ſiccum, cum non poſſint in eodem contraria, eodem tempore ſedem locumq́ue habere. Quatuor ergo cõiugationes ſimplicium qualitatum reſtant, quas Ariſtoteles quatuor ſimplicibus corporibus & elementis, accommodandas cenſet. Quapropter oportebit vnum ex elementis eſſe calidum & humidum: atqui ignis eſt calidus & ſiccus, aqua frigida & humida, terra frigida & ſicca, relinquitur itaque vt aer ſit calidus & humidus. Atque eũ magis humidũ quam calidum facit iis verbis, in eodem ſecundo
Ca.3 de ortu & interitu libro. οὐ μὴν ἀλλ' ἁπλῶς γε τέσσαρα ὄντα ἑνὸς ἕκαστόν ἐστι. γῆ μὲν γὰρ ξηροῦ μᾶλλον ἢ ψυχροῦ. ὕδωρ δὲ ψυχροῦ μᾶλλον ἢ ὑγροῦ. ἀὴρ δὲ ὑγροῦ μᾶλλον ἢ θερμοῦ. πῦρ δὲ θερμοῦ μᾶλλον ἢ ξηροῦ. id eſt.

Verum enimuero cum ſimpliciter quatuor ſint, quodq; vnius eſt. Terra enim eſt ſicci potius quã frigidi particeps. Aqua verò frigidi magis quã hu-

Secũda quæſtio.

Aer calidus & humidus Ariſto. ſententia.

Coniugationes ſex ſunt ex quatuor primis qualitatibus.

Ex ſex coniugationibus duæ nõ extãt

Aer eſt magis humidus quã calidus Ariſtotelis ſententia.

midi. Aer humidi magis quam calidi. Ignis calidi magis quam ſicci. Aera autem magis humidū quã calidum, rationi cōſentaneum philoſophi dicūt. Nam cum virtus mouentis ſit minor in remoto quam in propinquo, minus calefacit motus cæli materiam aeris, quam ignis, quinetiam quaſi nihil. Materia ergo aeris remanebit magis humida quã calida, cum duæ ſint cauſæ ſiccitatis, vna frigus ꝙ condenſat & exprimit humidum, vnde introducitur ſiccitas, quæ nihil aliud eſt, quam humiditatis priuatio. Altera eſt calor quæ humorem conſumit. Hæc Ariſtotelis verba nonnulli parum cōtemplantes, crediderunt Ariſtotelem ſtatuere aera eſſe magis humidum quàm aquam. Sed illi non animaduerterunt Ariſtotelem non conferre aera cum aqua, ſed conferre humiditatem quę eſt in ipſo aere, cum calore qui eſt in eodem aere, vt velit aera magis humidum eſſe quam calidum, ſeu in aere magis dominari humiditatem quàm calorem. Quod autem aer non ſit magis humidus quam aqua, hinc poteſt intelligi, quia in aqua eſt frigus ꝙ facit vt ad ſe fluat humidum: in aere vero eſt calor qui ad ſe fluere humidum non facit. Præterea ſenſu ſenſilia iudicamus, perſpicuum autem eſt omnibus ſenſu tactus prędítis, aquam humidiorem eſſe quàm aera. Inſuper ſiccitas omnium rerū mixtarum, quibus aer circūfunditur, citiſſimè tolleretur, ac multo certius, quam ſi ſubmergerentur in aquis. Vnde breuiſſimo tempore talium rerum, interitus conſequeretur. Hactenus ex Ariſtotelis placitis aera calidum & humidum eſſe docuimus, in qua ſententia primus omnium fuiſſe Hyppo.

Siccitatis duæ ſunt cauſæ.

Frigus cauſa ſiccitatis

Calor cauſa ſiccitatis.

Aer non eſt magis humidus quā aqua

niſus

uiſus eſt. Alios tamen aliter de aere ſenſiſſe Galenus ſubiungit, quos quidèm voluiſſe exiſtimo aerem natura expertem omnium qualitatum primarum, nō autem eſſe natura calidum & humidum, quod non videtur à ratione alienū. Diceret enim aliquis, ſi de aere ſit diſputandum, profectò aer ex ſua natura erit inſpiciendas: quod ſi fiat, certè nō erit nec calidus nec humidus. Quod verò non ſit calid9, ita doceri poteſt. Si aer ſit calidus eo calore, qui eſt prima qualitas calida (de hac enī diſputatio ſuſcipitur) certè tam combureret, aut calefaceret, aut non multo minus, quàm ipſe ignis. Quare vt res in igne, nimio calore, ita in aere omnia animalia perirent. Et ſi dicas non calefacere, vt ignis, ob humiditatem adiunctam, quæ caliditatem obtundit, ad hoc reſponderi poteſt, cum aqua ebulliēte coniūctam eſſe humiditatem, quæ tamen non impedit quominus illa aqua cōburat. Præterea ſi reſpiratio animātibus à natura ſit data, ad refrigerandas corporis partes internas vt in. 2. de anima docet Ariſto. & Galenus in libris de reſpirationis vſu, fingamus nullam eſſe aeris agitationem, nullumque ventum, qui ipſum refrigeret, profectò animantibus inſpirantibus aera calidum & humidum, tantum aberit vt eorum partes internę refigerētur, vt eorum calor augeretur, cum aeris calor, qui eſt prima qualitas, ſit vehemētior calore animantis. Quare natura aut aera calidum fruſtra fecit, aut fruſtra animantibus potiſſimum gradiētibus, inſpirationem conceſſit. Neq; dicas aera ab humiditatem calori adiunctam refrigerari, quia refrigerare frigoris eſt, non autē hu-

Aer eſt expers omnium qualitatum primarum.

Aer non eſt calidus.

C. 8.

miditatis. Insuper ſole à nobis remotiſſimo exiſtẽte, vt media hyeme, nullo flante vento, nullaque facta in aere alteratione, aer eſſet calidus media hyeme, at maximè frigidus, omni alteratione ſemota, percipitur. Si verò dixeris hyemali tempore frigidum eſſe, quia remoto ſole, tum & terra & aqua frigus ſuum inducunt in aera, certè concludi poterit, ergo ſi aer calidus eſt, beneficio ſolis nõ natura calidũ exiſtimãdũ ſe. Si etiã dixeris vere & æſtate aera calidũ ſentri, ideoq; natura eſſe calidũ, cur ꝙ tu refers in qualitatẽ calidã aeri cõgenitã, alius referre nõ poterit in acceſſũ ſolis ad nos effectũ? His igitur, ſimilibuſq; rationibus videri poterit, aera non eſſe calidum. Non autem eſſe humidum, iis aliquis poſſet docere. Primum enim ſi humidus eſſet, illius certè humiditatem ſenſus perciperet, quam non percipit. Et ſi contendas ſentiri aliquando, cur quod tu refers in qualitatẽ humidam aeri cõgenitam, alius referre nõ poterit in exhalationes ab aqua elatas, & in vniuerſum aera fuſas & ſparſas? Præterea ſi aer eſſet humidus, ea humiditate, quæ eſt prima qualitas, (de hac.n.eſt ſermo) tolleret omnem ſiccitatem rerũ mixtarum, quæ in aere durare cernuntur, non ſecus ac ſi in aqua eſſent, in qua breuiſſimo tempore durarẽt. Atque hoc modo citiſſimus eſſet talium rerum interitus. Et ſi rerum interitum non oportere eſſe velocem contendas, ob aeris tenuitatem, aliquis alius non velocem modo & citum, ſed citiſſimũ eſſe oportere ob aeris tenuitatẽ concludet. Nã quatenꝰ aer eſt maximè humidus, maximè humectabit: & quatenus eſt & maximè tenuis, maxi

Aer non eſt humidus.

mè penetrabit. Quapropter aer nõ videtur nec calidus nec humid⁹. Quid ergo erit? Quẽadmodũ prima materia. Et si huic similem aera facere nolis, quia hic forma aliqua est p̃ditus, illa verò omni careat, illũ similẽ faciamus cucurbitæ, cui Plato primam materiã fecit similẽ. Cucurbita.n. vt testatur

Aer est similis primæ materiæ.

C.22 Galen⁹ libro primo simpliciũ, est ἄποιος, id est, qualitatis expers & insipida, proinde idonea ad saporẽ quẽuis suscipiendũ. Quẽadmodũ ergo prima materia nullã habet in se formã, habet tamẽ eã vim & facultatẽ vt oẽs possit recipere formas, & cucurbita nullũ in se habet saporẽ, facultate tamẽ ea est p̃dita, vt omnibus saporib⁹ veluti informari possit: ita aer nullã videtur natura sua, prima aliqua qualitate p̃dit⁹, sed ei vĩ eã à natura esse cõcessã, vt quauis tali veluti informari possit. Eãq; ob causã modò calidus, modò frigidus, aliàs humidus, aliàs siccus sentitur. Meritò autẽ nõ videtur aer à natura aliquã primã qualitatẽ accepisse. Nã cũ natura prouida videret (eã hoc loco intelligẽtẽ perspicuitatis gratia faciamus) animantia quæ pedibus ingrediuntur, opus habere modo calore, modo frigore, modo humiditate, modo siccitate, aera eiusmodi fabricauit, qui harum omnium qualitatum particeps esse posset. Atque ipsamet natura, multis causis concurrentibus, singulis anni tempestatibus, aera ipsum qualitatibus illis variare & alterare videtur, vt (quantum necesse est) animantibus aere vtentibus, aliisque rebus prospiciat. Quinetiam nos pro varietate ægrotationum, aera ipsum alterare solemus. Nunc quomodo quis Aristotelis rationes explicare posset, ostendentes aera esse

Aer cur expers sit omnium qualitatum primarũ

Explicatio rationum aera calidum & humidũ probantinm.

calidum & humidum , videamus . Ac primùm quod dicit esse quatuor coniugationes primarum qualitatum , attributas quatuor simplicibus corporibus & elementis , negari posset . Nam quemadmodum coniugatio caloris & frigoris, & coniugatio humiditatis & siccitatis mente finguntur, nec sunt, nec esse possunt: ita cõiugatio caloris & humiditatis simplici corpori attributa non est : quamquam in hoc differat, quia esse possit. Si verò dixeris esse perspicuum, corpora quædã mixta, esse calida & humida: fateri quis posset coniugationem caloris & humoris reperiri quidem in rebus mixtis, negare autẽ esse in simplicibus & elementis . Non enim ex eo quod res quędam mixtæ sunt calidæ & humidæ , concludi potest, aera esse calidum & humidum, cum illæ calorem ab igne , & humiditatem ab aqua accepisse videri possint. Et si iterũ dixeris, res mixtæ cõstãt ex quatuor elemẽtis, igitur & ex aere. Illa autẽ mixtio esse non posset sine actione & passione elemẽtorum inter se, effecta à primis qualitatibus, igitur oportebit in aere esse aliquas qualitates agentes: at coniugatio frigoris & siccitatis, terræ est attributa: frigoris & humiditatis, aquę: caloris & siccitatis, igni: ergo caloris & humiditatis aeri. Respõderi potest , ex aere quidem res mixtas constare, & mixtionem illam fieri beneficio primarum qualitatum, sed non continuò sequitur in aere esse oportere natura aliquã primã qualitatem. Nã cum dictum sit , aera vel materiæ primæ, vel cucurbitę esse similem, vt nullam primam qualitatem natura in se habeat, posit tamen recipere omnes, pro-

fectò quando concurret ad oirginem rerum, ab aliis elementis qualitates mutuatus, vim agendi & patiendi habebit. Cur ergo veteres coniugationem caloris & humiditatis aeri attribuerunt? An ſimpliciter hoc non fecerint, ſed duabus hypotheſibus ſumptis, prima, ſi ſint quatuor coniugationes qualitatatum primarum ſyncerarum, (dico ſynceras, quia quatuor coniugationes remiſſas eſſe, conſtat) altera, & ſint attribuendæ quatuor elementis, aer certè calidus & humidus ſtatuendus erit. Quoniam autem facilius elementorum vim, & naturam, & ordinem, ponendo aera calidum & humidum, veteres ſe explicare poſſe putabant, & actionem eorum inter ſe, & mixtionem rerũ, & nihil abſurdi conſequebatur, ſed potius magna quædam perſpicuitas, idcirco aera talem fecerunt. At quamquam expers qualitatum illarum primarum ſit, attamen cum ponamus idoneum eſſe, vt illas omnes poſſit recipere, viciſſimque recipiat, profectò non minus defendi poterunt actio & perpeſsio elementorum inter ſe, & ex ipſis permixtio rerum, vt antè eſt traditum. Sequitur vt tertiam queſtionem, qua quærebamus, an ver eſſet calidum & humidum, examinemus.

Cur veteres appellarint aera calidum & humidũ.

Quæſtio de temperamento veris.

C.4. Galenus in.1.de elementis acerrimè in veteres inuehitur, qui ver calidum & humidum faciebant, exiſtimans temperatum eſſe oportere. Illius verba hæc ſunt. Cum calidum & humidum, atque etiam εὔκρατον exiſtimant ver eſſe, hîc ſe maniſtè decipiunt. Nam neq; humidum eſt ſicut hyems, neque calidum ſicut æſtas, quare neutrum immodicè. Cum tamen ipſis authoribus, exceſſum quen-

Ver non eſt calidum & humidum.

dã indicet quoduistaliũ nominũ. Bifariã autẽ sunt decepti. Primũ quidẽ, ꝙ in quatuor anni tẽporibus, quartã tẽperamentorũ coniugationẽ inuentã omnino volunt. Deinde quòd id ea ratione cõcludunt, quòd sit hyeme quidẽ calidius, æstate verò humidius. Verũ nec quartã in temporibus anni statuere temperamenti cõiugationem, est necesse, nisi etiam talis appareret: & cõtulisse id cum temporibus vtrinque positis, nõ magis id humidũ & calidum, quã frigidum probat & siccũ. Si enim calidũ humidũq́ue, excess⁹ cuiusdã nomina sunt, non potest, ne ipsis quidẽ authoribus, verũ esse, quod ver in omnibus mediocre sit. Si autem eo quod æstate est humidius, hyeme verò calidius, id circo humidum est & calidũ, quid causę est, quo minus frigidũ id, siccumq; sit, propterea quod ęstate est frigidius, & hyeme siccius: vel quã sibi facit sortitionem, vt vnam partem oppositionis à hyeme, alteram ab æstate accipiat? Quippè cũ ab vtroque, in vtraque oppositionis parte, dissideat, non ex dimidio collationem, sed ex toto habere debebat. Atqui si ita fiat, contraria illi inesse dicemus. Nam calidum erit & siccum, si conferatur cum hyeme: frigidum & humidum, si cum estate. Ex neutra igitur collatione, si modo integra, est calidum & humidum. Sed si illis licet, ex vtraque oppositione sumpto dimidio, calidum id, humidumq; asserere, nobis quoq; ad alterũ dimidium transire, atque id frigidum & siccum dicere, quid ni licebit? Scilicet siccum, vt ad hyemem: frigidum, vt ad æstatem. Omnia igitur hac ratione ver erit, humidum, siccum, calidum, frigidum.

Quarta coniugatio nõ est quærenda in omni tempestatibus.

C.4.

Atqui illorum ipſorum ſententia, non poſſunt quatuor qualitates in vna eademq́; re pollere. Ergo neque ęſtati, neque hyemi, ver cōparare eſt ęquum, ſed potius ipſum per ſe ęſtimare. Vide quę ſequuntur. Ex quibus perſpici facilè poteſt, Galenum voluiſſe ver, non calidum & humidum, ſed in mediocritate & æquabilitate caloris, frigoris, humoris, ac ſiccitatis poſitum eſſe, atque temperatum. Verum quis nobis opponere poterit Hyppocratem, in primo de natura humana, & Galenum in hoc quem explicamus contextu, facientes ver calidum & humidum, vt Galenum ſibi planè contrarium eſſe contendat. Reſponderi poteſt Hyppocratem ſic de iis diſſeruiſſe, vt ſi quatuor coniugationes accomodandę eſſent quatuor anni tempeſtatibus, ver profectò calidum & humidum eſſe faciendũ. Aut hoc modo, ver duobus modis conſyderari poſſe, vno ex ſua natura, altero, ex comparatione ad hyemem & æſtatem.

Ver ſpectandũ eſt per ſe non comparatione.

Ca. 10.

Obiectiones probãtes ver calidum & humidum.

Quomodo Hypp. fecerit ver calidũ & humidũ.

Ver ſpectatur dupliciter

Si ex ſua natura & per ſe conſyderetur, temperatum videtur ſtatuendum: Sin verò ex collatione, calidum humidumq́ue videtur ponendum. Quo quidem modo, ver ſpectabat Hyppocrates. Et cum Galenus contendit, ſi ver ex comparatione conſyderetur, tum non magis calidum & humidum, quàm frigidum & ſiccum eſſe ponendũ, cum ęſtate ſit frigidius, & hyeme ſiccius, tum contraria in eodem fore, neutrum horum cogit. Primùm enim non eſt abſurdum contraria eſſe in eodem, ad diuerſa comparatione facta: Sanguis enim cum igne comparatus, frigidus, cum pituita, calidus exiſtimandus eſt. Deinde non eſt neceſ

Ver eſt temperatum.

ſe ex collatione dici ver frigidum & ſiccum. Nam quamquam comparatum cum hyeme, ſit calidum & ſiccum, & comparatum cum æſtate ſit frigidũ & humidum, attamen non ita rectè dicetur frigidum & ſiccum, quemadmodum calidum & humidum: ſiquidem in eo calor & humor ſuperare videntur frigus & ſiccitatem. His itaque duobus modis Hyppocrates defendi poterit. Sed horum neutro defendi poterit Galenus, hîc faciẽs ver calidum & humidum: ſiquidem ex illa verborum ſerie, duo hæc Galeni placita colliguntur: alterum, in quatuor anni tempeſtatibus, non eſſe ſtatuendam quartam temperamenti coniugationem: Alterum, ver non ex collatione, ſed ex ſua natura & per ſe eſſe æſtimandum. In defenſione itaque Galeni poterit reſponderi, quæ hoc loco de vere dicuntur, non ex propria, ſed ex veterum medicorum ſententia dixiſſe: Idq́ue eſſe hîc accomodatum, cũ quatuor humores, & quatuor elementa, & quatuor tẽpeſtates, ſimilia eſſe in temperatione quatuor primarum qualitatũ, faciat. Hyppocratem ergo voluiſſe ver eſſe calidum & humidum, Galenum verò, temperatum, ex iis intelligere poterunt omnes. Cæterùm ſi ſenſus iudicium ſequi volumus, & quæ quotannis eueniunt obſeruare diligenter, profectò aliter de vere quã Hyppo. & Galenus fecerint, videbitur alicui ſentiendum: aut hiſce, quæ duo illi viri inſignes poſteritati reliquerunt, aliquid addendum, vt ſi quæ ineſt difficultas, illa omnis tollatur. Nam cum ego Lutetiæ eſſem anno. 1555. frigus, illudq; maximum, vſque ad menſem Maij viguit continentèr. Quo-

Ver frigidũ maximè aliquando.

modo ergo ver erit calidum & humidũ, vt Hyppo.faciebat,aut temperatũ,vt Galenus. Præterea quomodo ver vel calidum & humidum, vel temperatum erit in illis regionibus, quæ locatæ sunt sub zonis frigidis, quæque ad polos arcticum & antarcticum maximè vergunt.Respondebis,scio, Galenum voluisse ver esse temperatum in regione temperata.Sed quæro ex te, quid per regionẽ temperatam ipse intelligat.Nam regio temperata duobus modis dici potest,aut ea dicitur temperata regio,in qua perpetuò est quædam quatuor primarum qualitatum ęquabilitas,ita vt calor non superet frigus,nec humor siccitatem,nec cõtra: aut ea, in qua reliquæ tres anni tempestates, tres coniugationes sibi vendicent,ita vt ęstas sit calida sicca,autumnus frigidus siccus, hyems frigida humida.Regionem primo modo acceptam, intelligere Galenus non potest. Nam si in ea sit perpetua æquabilitas primarum qualitatum,profectò in ea æstas non erit calida & sicca:hyems, frigida & humida·Secundã ergo intelligat necesse est.Sed quęnã ista erit? Dem⁹ exẽpli gratia Italiã esse,in aqua ver aliquando tẽperatũ sentitur. Sed quamquam ver aliquando temperatum sentiatur in ea, attamen perpetuò haud temperatum apparet, siquidem aliquando est maximè humidum, nonnunquam maximè frigidum,interdum maximè siccũ. Et si hoc de tota italia velis non esse intelligendũ, sed de aliqua eius tẽperatissima parte,sumas quã volueris,certè incidunt aliquando tales,vel astrorum concursus, vel inferiorum mutationes, vt in temperatissima illa Italiæ parte, ver sit frigidũ ma

Regio temperata duobus modis intelligitur.

ximè, vel maximè humidum, vel maximè aut calidum, aut ſiccum. Quapropter ver in temperata, imò tẽperatiſſima regione, ſecundo modo accepta, non erit temperatum. Simpliciter ergo ver tẽperatum eſſe, in regione temperata, non eſt pronunciandum. Quid igitur de vere erit ſentiẽdum? An hoc? ver eſſe temperatum, in regione ſecundo modo temperata, ratione acceſſus ſolis, ſemotis omnibus aliis, aliorum aſtrorum, concurſibus, cõiunctionibus, oppoſitionibus, & etiam accidentibus inferioribus. Nam in regione temperata ratione acceſſus ſolis, qui non tantum remotus eſt, vt media hyeme, nec tantum vicinus vt media æſtate, ſed medio modo ſe habens, ver deberet eſſe tẽperatum, idq́ue quotannis. Sed quoniã certis quibuſdam annis, variæ aliorum aſtrorum motiones efficiuntur, & hæ quę vulgò appellantur influentiæ particulares (quas tamen Ariſtoteles non poſuit), ex quibus vel aquarum, vel ventorum copia maxima eſſe ſolet, profectò ſi tales influentię, & aliorum aſtrorum motiones fiant tempore veris in regione temperatiſſima, ver illud, quod ratione regionis & acceſſionis ſolis debebat eſſe temperatum, factum erit intemperatum: humidum quidem ſi veris tempore, largi decidant imbres: frigidum verò ſiccumq;, ſi venti magni & aſſidui perflent. Ex iis itaque omnibus perſpici poteſt, cum Galenus dicit, ver eſſe temperatum, hoc ſimpliciter non eſſe intelligendum, ſed hiſce adiectis: ver eſſe temperatum, in regione temperata, ratione acceſſus ſolis, ſemotis aliorum aſtrorum motibus omnibus, & etiam accidentibus inferioribus, qua

Ver non eſt ſimpliciter temperatũ in regione temperata.

de verè quid ſentiendum.

Ver temperatum à Galeno poſitũ quo modo ſit intelligendum.

lis eſt loci ſitus, & affectio. Nam in locis aquoſis, aera ſemper humidiorem experimur, in arenoſis & lapidoſis, ſicciorem. Fortaſſe etiã in Galeni de fenſione dicere poſſumus, rarò euenire, vt in regione temperatiſsima, ver ſit vel calidum, vel frigidum, vel humidum, vel ſiccum, vel denique intemperatum: plerumq; autem eſſe temperatum. At vnumquodque ſpectandum eſſe, ex eo quod ſæpius eueniat. Eorum enim quę plerumque eueniunt, ſcientia eſſe poteſt, non eorum quæ rarò.

Χολῶν δὲ ἡ ξανθὴ, καὶ θέρος, καὶ πῦρ, θερμὰ καὶ ξηρά.

Bilium autem ea quæ flaua eſt, & æſtas, & ignis, ſunt calida & ſicca.



ALtera eſt inductionis pars. Bilem autem flauam calidam & ſiccam eſſe, poteſt doceri: tum definitione illius quæ à medicis hæc adhiberi conſueuit, bilis flaua eſt humor calidus & ſiccus, ex tenuiore & calidiore parte chyli, vel ex ſanguine tenui & ferueſcente, genitus: Tũ authoritate Galeni, qui in ſecundo de facultatibus naturalibus ſic ſcripſit. Bilis flaua, calida & ſicca eſt, quantumuis ſit ab aſpectu humida: Tum experientia, quia morbos à flaua bile genitos, propulſamus refrigerãtibus & humectãtib⁹. Bilis itaq; erit

Bilis flaua eſt calida ſicca.

Bilis flaua quid ſit.

C. 6.

Æstatem esse calidam & siccam quo-modo sit intelligendum.

calida & sicca. De æstate autem, an absolutè sit calida & sicca dicenda, quis dubitare posset, cũ hyppocrates dicat, si æstas fuerit humida, pestis grassabitur, & nos etiam experiamur humidam esse aliquando. Ad hunc responderi potest. Galeni sententiam ita esse intelligẽdam. Æstatem esse calidã & siccam, in regione secundo modo temperata, ratione accessus solis, semotis aliorum syderũ motibus omnibus, & influentiis, quæ pluuiosum ęstatis tempus efficere possunt, & etiam accidentibus inferioribus. Quæ si omnino non percipis, vide quæ de vere superius dixi. Aut hoc modo responderi potest, æstatem in regione, eo modo, quo dixi, temperata, ferè semper calidam & sicccam esse, rarò autem humidam. At vnumquodq; spectandum est & definiendum, ex eo quod plerumque euenit, non ex eo quod rarò. De igne verò, an calidus sit & siccus, dubitat nemo: plerique autem dubitant, an sit calidus summè: Quod paulò post diligenter inuestigabo.

Μέλαινα δὲ, καὶ γῆ, καὶ φθινόπωρον, ξιρὰ καὶ ψυχρά.

Ea verò quæ nigra est, & terra, & autũnus, sunt sicca & frigida.

Bilis nigra frigida & sicca.


Ertia est inductionis pars. Bilem autem nigram, esse frigidam & siccam potest confirmari, tum definitione eius, hoc modo à medicis conflata, Bilis nigra est humor frigidus & siccus, ex crassio

Belis nigra quid,

re chyli portione genitus: Tum authoritatibus.
C.7. Galenus enim tertio de locis affectis, inquit melancholicos esse, in quibus siccitas & frigus dominatur. Idem Galenus confirmat in 2. de facultatibus
C.9. naturalibus, & Aristoteles in problematibus. Prætermitto horum virorum prestantissimorum innumerabiles penè authoritates studio breuitatis: Tum experientia: siquidem morbis ex nigra bile natis, opponimus remedia calefacientia & humectantia. Nam vt inquit Gale. 2. de facul. naturalib.
C.9. sicut dantur mali frigidi & sicci, ita in humoribus quarta temperies, quæ est frigida & sicca. Bilis ergo nigra est frigida & sicca. Sed quæstio quædam hoc loco existit, cur Galenus nigram bilem dicat esse frigidam & siccam, cum in. 3. prognosticorũ dicat eam erodere partes: & in. 3. de locis affectis tradat, si ea in terram effundatur, ebullire, terramque fermenti & aceti modo attolere. Qui omnes affectus, rei calidę & siccæ, non frigidę & siccæ existimandi sint. Huius obiectionis solutionẽ pręclaram attulit Galenus, in fine secũdi libri de facultatibus naturalibus: Quo in loco bilem nigrã prima diuisione duplicẽ facit, alteram naturalẽ, quã appellat humorem nigrum: alteram præter naturam, quam nominat bilem nigram. Et paulo post sic scribit. Id nigri humoris quod nondum illam velut ebullitionem fermentationemq́ue terræ efficit, est naturale: Quod autem in talem mutatum est vim ac spẽm, id iam præter naturam est: ceu ꝙ ex vstione non naturalis caloris acrimoniam adsciuerit, ac veluti cinis quidam sit redditum. Sic quodammodo & fex vsta, à non vsta dissidet, il-

Bilis nigra duplex, naturalis & præter naturam.

la admodum calida eſt, adeò vt carnẽ vrat, liquet, ac corrumpat. Altera quę nondũ eſt vſta, ad omnia medicos vti deprehendas, ad quæ terra figulari aliiſque, quę ſimul ſiccandi ac refrigerandi facultatem habent. Hæc ille. Quibus certè verbis oſtẽdit, bilem nigram naturalem, eſſe frigidam & ſiccam, cum fęci non vſtæ eam ſimilem faciat: bilem verò nigram preter naturam, calidam & ſiccam, quippe cum tradat ſimilem eſſe fæci vſtæ. Vbicũque ergo inueneris Galenum ſtatuere bilẽ nigrã, eſſe calidam & ſiccam, eam quæ præter naturam eſt, ipſum intelligere, exiſtimes oportet, vbi verò frigidam & ſiccam, eam quæ naturalis eſt. De terra nihil mihi hoc loco videtur dicendum, cùm vno conſenſu eam omnes frigidam & ſiccam faciant, maximè conſtipatam & denſam, grauiſſimã, in medio mundi loco centro, inquam, collocatã. Et ſi diceres maximam eius partem humidam eſſe, hoc nemo neſcit euenire per aliud, nimirum aquam, terram humore imbuentem, at hîc elementa ex ſua natura ſpectãda exiſtimamus. De autumno nunc dicamus, & Galeni verba quæ autumni naturam & temperamẽtum explicant, ex primo de temperamentis tranſcribamus. Quæ ſunt: Eſt autem autumnus, vt quàm æſtas minus calidus, ſic vtique quàm hyems minus frigidus. Quare hac ratione nec calidus abſoluto ſermone eſt, nec frigidus, quippè cum ambo ſit, ſed neutrum ad ſummum. Cęterum alterum eſt in eo incommodum, quod etiam illa Hyppocratis ſententia ſignificauit, cum eodem die, modò frigus nos afficit, modò calor vrget, autumnales morbi expectãdi ſunt.

Terra eſt frigida & ſicca

Obiectionis diſſolutio.

Autumni temperamẽtũ quale ſit.

Atque ea res eſt, quę autumnum mortiferũ facit, inæqualis ipſa intẽperies. Itaque nõ rectè frigidus & ſiccus dicitur. Non enim frigidus eſt, ſi ipſe per ſe ſpectetur, quod tamen hyems eſt. Sed vbi cũ ęſtate confertur, vtique illa frigidior. Sed nec ęquabiliter temperatus, ſicut ver. Immò in hoc maximè ab illo tempore diſsidet, quòd mediam temperiem & æqualitatem perpetuò parem non ſeruat. Quippè meridie multo eſt calidior, quam mane aut veſperi. Nec in humido & ſicco medium omnino ſtatum obtinet, quemadmodum & ver, ſed ad ſiccius deuergit. Ab æſtate verò etiã in hoc vincitur. Nõ tamẽ tanto interuallo, quãto in calore. Ergo patêre arbitror, nec autũnũ abſoluto ſermone, & citra exceptionẽ frigidũ & ſiccũ, ſicut illis placet, dicẽdũ eſſe, cũ neutrũ ad ſummum ſit, ſed vincat in eo ſiccitas humiditatẽ. Qua ratione merito ſiccus appelletur. In calore verò & frigore mixtũ quiddã ex ambobus, & inæquale ſtatuatur. Proinde ſi quatuor tẽperamẽtorũ cõiugationes in quatuor anni tẽpora diſtribui volũt, ſciãt ſe nõ ſolũ ueri calidũ humidũq; ſtatũ malè aſsignaſſe, ſed etiã autũno frigidũ & ſiccũ. Hæc Gale. de autũni tẽperamẽto. Quapropter ſi autũn⁹ p ſe & ex ſua natura ſpectetur, ſiccus quidẽ habẽdus erit, cũ in eo ſiccitas vincat humiditatẽ, ſed nõ frigidus, quia in eo frig⁹ calorẽ nõ ſuperat. Sed modo calor, frig⁹: modoq; frigus calorẽ vincit, vt mixtũ ſit, viciſſitudine quadã ex calore, & frigore. Quocirca tẽperatum eſſe, vt ver, nullo modo eſſe poteſt. Attamen magna hoc loco quæſtio eſſe poteſt, cum de temperamento autumni, ſenſus, & ratio inter ſe pugnant.

Autumnus eſt ſiccus, in calore autem & frigore inæqualis.

De autũni tẽperamẽto ſenſus & ratio pugnant.

gnare videantur. Sensus enim inæqualem illius tē periem percipit, cum matutinum tempus, & vespertinum frigidum experiatur, meridiem verò calidam. Ratio autem colligit autumnum temperatum esse oportere. Nam si ver, in regione, eo modo quo dictum est, temperata, ratione solis, semotis omnibus aliorum astrorum aspectibus, & accidentibus inferioribus, est temperatum, cur autumnus in eadem regione, ratione solis, cum tempore autumni, sol tātum ab eadem distet, quātum tempore veris distabat, vt ex sphæræ preceptionibus facilè poteris intelligere, somotis aliorum astrorū aspectibus, accidentibusque inferioribus, temperatus non erit dicendus? Quapropter autumnus videtur tēperatus in regione tēperata beneficio solis: qui nō tantū abest, vt media hyeme: nec ita vicinus est, vt media ęstate. Sed & syderum aliorū cursus, & accidentia inferiora, temperatam autūni naturam immutare possunt. Præterea Aristo. in. 1. meteororum cum de rore disputat, tradit sole existente in signis ęquinoctionalibus, tam in vere, quā in autumno rorem generari. Nam tum est moderatus calor in aere moderatumque frigus, quæ duo sunt proximæ causæ originis roris. Vnde efficitur, quamquam in æstate possit eleuari vapor humidus tenuis, non tamen perueniet ad locum, in quo per se ros generatur, sed comburetur ab exuperante calore infimæ regionis, præsertim cum paucus sit atque admodum tenuis. Eodemq; modo tempore hyemis non generatur ros, quoniam vapor ille non potest ascendere ad idoneum locum in quo generari solet, sed præoccupatus à

Autumnū ratio temperatum facit.

Ros cur generetur vere & autumno nō æstate & hyeme.

à ve-

à vehementiſſimo frigore infimæ regionis, atque cõcretus, vertitur in pruinã. Quapropter vt ver, ita autumnum temperatum facere poſſumus. Adhęc Galenus in primo de temperamẽtis ſic ſcriptum reliquit. Sed ſi quis hoc in mundo eſt ordo, ac prout melius eſt, non prout peius, omnia ſunt
C.4. diſpoſita, probabilius ſit plura quidem ex anni tẽporibus temperata eſſe facta, vnum verò, ſi modo aliquod, intemperatum: At optimè omnia ſunt diſpoſita. Sed ſiue autumnus ſit temperatus ex ſua natura, ſiue ſiccus, inæquabilis verò in calore & frigore, cur Galenus, cum hîc facit frigidum & ſiccum? An quia ex veterum, non ex propria ſententia hoc faciat? preſertim cum cõmodius hoc modo ſimilitudo temperamenti, inter elementa, humores, & tempeſtates aperiatur?

Φλέγμα δὲ, καὶ ὕδωρ, ἀλλὰ δὴ καὶ χειμὼν, ψυχρὰ καὶ ὑγρά.

Pituita autem, & aqua, & hyems, frigida ſunt & humida.



Varta ac poſtrema eſt inductionis pars. Pituitam autem frigidã humidamq́ue eſſe, poteſt muniri, tum eius definitione, quæ talis à medicis eſt conſtituta, Pituita eſt humor frigidus & humidus, ſubſtantia crudus, colore albo, ſapore interdum dulci, quandoque omnis ſaporis expers: Tum authoritate Galeni, qui in ſecundo de differentiis febrium, ſic ſcribit. Quicunque humor in

Pituita eſt frigida & humida.

Pituita quid ſit.

corpore frigidus atque humidus fuerit, hunc nos pituitam appellamus: Tum experientia, cum pituitosis morbis medicamẽta calida & ſicca opponere ſoleamus. De aqua autem an ſit frigida & humida, nemo dubitauit vnquam. Hyemis verò frigus & humiditatem experimur ferè quotannis. Et ſi forte fortuna hyems frigida & ſicca ſentiatur aliquando, hoc in aliquem aſtrorum aſpectum, vel aliquod aliud accidens, transferẽdum videtur. At hyems eſt frigida & humida in regione, eo, quo dictum eſt, modo, temperata, ratione ſolis, ſemotis omnibus aliorum ſyderum curſibus, accidẽtibuſque inferioribus omnibus. Aut certè quia rarò cõtingit hyemem frigidam & ſiccam eſſe, idcirco ex hoc illius temperamentum non eſſe conſyderandum, ſed ex eo quod ſæpius vſuuenit: ſepius autẽ vſuuenit, vt ſit frigida & humida.

Ενοῦται δὲ καὶ πρὸς ἑαυτὰ χυμὸς καὶ στοιχεῖον, καὶ καιρὸς, καὶ διίσταται. ἀὴρ γὰρ καὶ πῦρ διενήνοχε τῇ ξηρότητι καὶ ὑγρότητι, ἑνοῦται δὲ τῇ θερμότητι. πῦρ δὲ καὶ γῆ, τῇ ψυχρότητι καὶ θερμότητι ξηρὰ δὲ πάντως ἀμφότερα. ὥσπερ γῆ καὶ ὕδωρ ψυχρὰ, διίσταται δὲ ξηρότητι καὶ ὑγρότητι: ὕδωρ τε καὶ ἀὴρ, ὑγρὰ μὲν, θερμότητι δὲ καὶ ψυχρότητι διαφέρετον.

Conueniũt autem inter ſe humores, elementa ac tempeſtates, atque etiã diſcrepant. Aer enim, & ignis, ſiccitate & hu

miditate differunt, caloris verò cõmunione iunguntur. Ignis etiam, & terra, frigore: & calore dissentiunt, vtraque autem sicca omnino sunt. Quemadmodũ terra, & aqua, frigida: distant verò siccitate & humiditate. Aqua denique, & aer, humida sunt, calore autem ac frigore differunt.



Vinta hoc loco similitudo adhibetur, inter elementa, tempestates, atque humores. Quẽadmodùm enim elementa inter se cõparata tum conueniunt, tum discrepant, ita tempestates inter se collatæ, eodemq́ue modo comparati inter se humores, tum conueniunt tum discrepant. Quomodo autem elementa inter se comparata conueniant partim, & partim discrepent, Galenus inductione ꝑsequitur, quæ intellectu facillima existit. In qua illud obseruandum est, Galenum conferre vnumquodque elementum, cum reliquis duobus, quibus cum conuenit, à quibus tamen etiam distat, vt ignem cum aere & tera: aquam cum terra & aere. Idemq́ue in reliquis. Comparationem quoque ita facere possumus, vt vnumquodque cum reliquis tribus conferamus, vt ignem cum aere, aqua, & terra. Atque hoc modo ab vno semper vtraque qualitate distabit,

Elementum quodque vel cũ quibuscõuenit, vel cũ quibus omnino discrepat, confertur.

cum aliis vero duobus vna qualitate conueniet, & altera discrepabit. Vt ignis ab aqua vtraque qualitate differt, quum ille calidus & siccus, hæc frigida & humida, sentiatur. Ab aere verò vna solum qualitate dissentit, alterius autem communione iunguntur, quippè cum ignis sit siccus, aer verò humidus, caloris autem societate vincuntur, vterque enim calidus est. A terra etiam vna qualitate solũ differt, alterius verò cõmunione coniungitur. Nam ignis est calidus, & terra frigida, vtrumque autem siccum. Eodemque modo conferas aera cum reliquis tribus, igne aqua, & terra: similiter aquam cum igne, aere, & terra, Denique terram cum ignre aere, aqua, atque videbis vera esse quæ dicimus omnia, hoc nimirum ex hypothesi sumpto, aera esse calidũ & humidum. Id quod, an verum sit, superius inuestigatum à nobis est. Aduertas quæ hoc loco à Galeno traduntur, ab Aristotele in secundo ortu & interitu mutuo accepta esse. Ibi enim hæc & similia doctissima oratione explicantur. Cæterum cum Galenus inquit, ξηρὰ δὲ πάντως ἀμφότερα. i. ignis & terra omnino sicca sunt, videtur indicare, non solum in terra, verum etiam in igne summam esse siccitatem. Postulat itaque hic locus, quò possit plenè intelligi, vt breuiter inuestigemus, an ambæ qualitates summę sint in vnoquoque elemẽto, an altera summa, & altera remissa. Si rationem ducem sequi velimus, ambæ summæ videntur in quoque ponendæ. Rationes itaque pleręq; afferri possunt, in singulis elementis, ambas summas esse qualitates, demonstrantes. In quo, hoc primum ponendũ est,

Qualitates summæ in elementis.

elemẽta eſſe intelligenda ſyncera, nõ mixta, & à ſe
viciſſim omnino ſecreta. Quo ita cõſtituto, illud
C.4. iam doeamus. Ariſtoteles in primo phyſicorum,
ſic ſcripſit. τὸ δὲ ἧττον, μίξις ἀεὶ τοῦ ἐναντίου. i. Quod au-
tem minus eſt, id ſemper cõtrarij permixtione e-
xiſtit. Quod verum eſſe experientia comperimus,
ſi vel lacti vel niui vel rei candidiſſimæ aliquid ni
gri admiſceamus. Ariſtoteles. n. in tertio topico-
rum inquit, magis albũ eſt id, ꝙ eſt nigro minus ꝑ
mixtum, ergo minus album erit, quod eſt nigro
magis permixtum. Si ergo in igne non ſit ſumma
ſiccitas, ſed minor & remiſſa, talis profectò erit ꝑ
admixtionem contrarij, minimum humiditatis.
Eodemq; modo ſi in aere non ſit calor ſummus,
ſed remiſſus, talis erit permixtione & confuſione
ſui contrarij, ſcilicet frigoris. Idemq́ue de aqua ter
ráque iudicandum. Quare in igne erit aliqua hu-
miditas, in aere aliquod frigus. At poſitum eſt, ele
menta eſſe intelligẽda ſyncera, & à ſe viciſsim om
nino ſecreta. Præterea ſi ex aere & terra, corrupta
humiditate aeris, & terræ frigore, fiat ignis, vt Ari
ſto. ſcriptum reliquit in ſecundo de ortu & interi
C.4. tu, erit ne is calor ſummus? Negare nõ potes quia
eſt igneus: at ille erat in aere, qui corruptus eſt: in
aere ergo eſt ſummus calor. Quibus verbis Ari-
ſtotelis ſententiam colligere poſſumus, qualitates
in elementis ſummas eſſe. Inſuper ſi ignis propin
quet aeri, profectò cum calor ignis ſit ſummus, ae
ris verò remiſſus, ignis aerem calefaciet memento
temporis. Nam vbi non eſt contrarium, nequit eſ
ſe reſiſtentia, & vbi non eſt reſiſtentia, non poteſt
eſſe motus continuus & quãtus, vt in phyſicis do-

Quod eſt remiſſum tale eſt per admixtionem contrarij.

Ex Ariſtotelis ſentẽtia colligi poteſt qualitates in elementis eſſe ſummas.

cetur: calefactio autem omnis alteratio eſt, altera
tio verò motus, in tertia qualitatis ſpecie repoſitꝰ,
aliqua ergo alteratio erit momento temporis. A-
lias rationes afferre poſſem, ſed iis contenti ſimus.
Ambas itaque qualitates, in vnoquoque elemen-
to ſummas eſſe, iis rationibus impulſi exiſtimare
poſſumus. Si verò Ariſtotelis authoritatem ſequẽ
dam putamus, altera ſumma, altera remiſſa videbi
tur eſſe. Vt in igne ſit ſummus calor, remiſſa verò
ſiccitas. In terra verò ſumma ſiccitas, frigus autẽ
remiſſum. In aqua ſummum frigus, humiditas re-
miſſa. In aere humiditas ſumma, calor verò remiſ
ſas. In ſecundo .n. de ortu & interitu ſic ſcriptum C 3.
reliquit γῆ μὲν ξηροῦ μᾶλλον ἢ ψυχροῦ. ὕδωρ δὲ ψυχροῦ μᾶλ-
λον ἢ ὑγροῦ. ἀὴρ δὲ ὑγροῦ μᾶλλον ἢ θερμοῦ. πῦρ δὲ θερμοῦ μᾶλ
λον ἢ ξηροῦ. i. Terra quidem ſicci magis eſt particeps,
quàm frigoris. A qua autem frigoris magis, quàm
humiditatis. Aer verò humiditatis magis, quã ca-
loris. Ignis denique caloris magis, quàm ſiccitatis.
Quibus verbis quamquam apertè Ariſtoteles al-
teram remiſſam & alteram ſummam non faciat,
ex iis tamen hoc videtur colligi poſſe. Nam cum
poſſit conferri calor, & cum ſiccitate, & humidi-
tate, & frigore, ille profectò videtur fortior, &
ad agendum promptior, & ſuperior iis tribus ita,
vt ſiue in aliquo elemento coniungatur cum ſic-
citate, dominetur: ſiue, cum humiditate, etiam im
perium habeat: ſiue cum frigore (ſi fieri poſſet)
principatum obtineret quoque. Cum verò Ari-
ſto. dicat aera eſſe magis humiditatis quam calo-
ris participẽ, id eſt, in aere humiditatẽ dominari,
videtur profectò colligi poſſe, in aere calorem eſ-

Ex Ariſtotelis verbis colligi poteſt, qualitates in elementis alterã ſummã eſſe, alteram remiſſam.

ſe remiſſum, humiditatem verò ſummam. Idemque in cæteris iudicandum eſt. Quid ergo dicendum, an Ariſtoteles rationi ſit contrarius? Cum hæc Ariſtotelis authoritas, contraria ſit illis eiuſdem verbis, quibus ſuperius demonſtrabamus, in aere eſſe calorem ſummum, ſi ex aere & terra, corrupta humiditate aeris, & terræ frigore, fiat ignis vt Ariſto. in. 2. de ortu interituq; docet, profectò hos duos locos conciliemus neceſſe eſt. Itaque dicendum exiſtimo, cum Ariſto. tradit, in igne calorē ſummū eſſe, remiſſam verò ſiccitatē: In aere autē ſummā humiditatē, & calorē remiſſum (ſi hæc talia ex eius verbis colligi poſſunt) nō eū affirmādo pronūciaſſe, ſed hac conditione, ſi cū quatuor ſint primæ qualitates, vnicuique elemēto, vna tribuenda ſit, ignis profectò erit calor, aeris humiditas, aquæ frigus, terræ ſiccitas. Quoniamq; cum calore copulari poteſt ſiccitas, & humiditas: & cū humiditate & ſiccitate frig⁹, fit ꝓfectò vt ſiccitas ſecūdo loco ſit ipſi⁹ ignis, calor ſecūdo loco aeris, humiditas ſecūdo loco aquę: frig⁹ ſecūdo loco ipſius terræ. Ex quo quidē Ariſtotelis loco, hoc modo explicato, nō videtur colligi poſſe, in quoq; elemēto alterā qualitatē eſſe ſummā, & alterā remiſſam, ſed alterā primo loco cōuenire, alterā ſecūdo loco, ſi cū quatuor ſint qualitates, vnicuiq; quatuor elementorum vna ſit tribuenda. Nam quæ ſecundo loco attribuitur vni, alij elemento primo loco adſcribitur. Vt ſiccitas quæ primo loco conuenit terrę, ſecundò igni conuenire dicitur.

Contrariorū locorū apud Ariſtotelē exiſtentium explicatio.

Locus Ariſtotelis per obſcurus explicatur.

Οὕτω καὶ χυμοὶ καὶ καιροὶ συνίσανται, καὶ ἀλλήλων λύσανται.


Eodem modo humores, & tempestates, inter se & congruunt & discrepant.



Væ de lementis dixit, ad humores & tempeſtates accomodat. In quo obſeruandum eſt, illud ἀλλήλων. i. inter ſe non ſignificare conferendos eſſe, humores cũ tẽpeſtatibus, aut has cũ illis ſed humores inter ſe comparandos eſſe, eodemq; modo tẽpeſtates inter ſe, vt humores inter ſe, & congruant, & diſcrepant. Itemque tempeſtates. Nam bilis cum ſanguine calore conuenit (ſi ſanguinem calidum ponamus) vtrumque enim calidum eſt: & cũ humore nigro ſiccitate, cum ambo ſint ſicca. A ſanguine autem differt, quia bilis flaua eſt ſicca, ſanguis autem ponitur humidus: à ſucco verò nigro quia hic frigidus, illa calida exiſtit. Reliqua quę & de humorũ inter ſe cõparatione, & de comparatione tempeſtatum inter ſe ſigillatim eſſent dicenda, ex ſuperioribus aſſumantur.

καὶ τὴν καλουμένην φίλεχθρον μίξιν ἀποτελοῦσιν.

Atque eam mixtionem perficiunt, quam Græci φίλεχθρον. *i. odioſom nominant.*



ffectum quendam à ſuperioribus manantem, his verbis declarat. Sed dubium eſſe poteſt, an elementa, & humores, & tempeſtates ſimul mixtionẽ odioſam, quæ in rebus omnibus concre-

tis ineſt, perficere Galenus velit: an ſola elementa & humores, non etiam tempeſtates. Quod maxime videtur probabile, cum ex tẽpeſtatibus corpora noſtra non conſtent. Neque etiam ipſæ met tempeſtates, quamquam totum annum animo cõcipiamus, faciunt mixtionem odioſam, cum vnà non miſceantur, ſed ordine quodam ac ſucceſsione ſtatuantur. Demonſtrauimus enim ſuperius, tempus non eſſe totum quod maneat, ſed totum in quadam ſucceſsione poſitum. Tempeſtates ergo mixtionem odioſam non efficiunt, ſed elementa & humores: quamquam elementa propriè & primò, humores verò minus propriè & ſecundo loco. Cur autem mixtionem ex talibus effectã, φίλεχϑρον. i. odioſam & veluti inuidia ardẽtẽ Græci appellauerĩt, intelliges, ſi quid ſit mixtio & quæ miſceatur inter ſe, explicauerimus. Mixtio eſt eorum quæ inter ſe miſceri poſſunt, cum commutata ſunt, copulatio: ſeu (minus latinè quidẽ, ſed clarius) mixtio eſt vnio miſcibilium alteratorum, vt in fine primi de ortu & interitu definiuit Ariſtoteles. Dixit autem alteratorum, indicans, elementa nõ eſſe actu perfecto in mixtis, ſed alio modo. In lapide. n. non eſt ignis actu, nec aer, nec aqua, nec terra: non enim hoc modo efficerent mixtionem ſed, vt appellant, iuxta poſitionem.

Tempeſtates non efficiũt mixtionem odioſam.

Mixtio quid ſit.

Cap. 10.

In mixtis nõ ſunt elementa actu prefecto,

Ea autem inter ſe miſcẽtur, vt in eo quẽ modo citaui loco tradit Ariſto. quæ ſunt contraria, & poſſunt viciſſim agere & pati propriis qualitatibus contrariis: Talia autem erunt & elementa, cũ ſint contraria, & viciſsim agant & patiantur: & quę in hoc elementis ſunt ſimilia, quales ſunt humores.

Quenã ſint quæ inter ſe miſceantur.

His breuiter ita constitutis, cur elemēta & humores perficiant mixtionem odiosam, percipi facilè potest. Nam in mixtione ossis, nerui, & omnium denique partium similarium, sunt & quatuor humores, in primo enim de elementis tradit Galenus humores partium similariū esse proxima principia, & quatuor elementa, sed tanquam communia omnium rerum mixtarum principia, vt cuique vel mediocriter in philosophia versato exploratum est maximè. In mixtis autem elementa videntur esse actu remisso. Nā aut sunt actu pfecto, aut sola potestate, aut actu remisso: nō actu perfecto, quoniam non efficerent mixtionem sed vt dicunt, iuxta positionem: nō potestate sola ita vt interierint planè ipsæ qualitates primæ, cum si mixta corpora tetigerimus, percipiamus sensu qualitates illas primas, calorem inquam, & frigus, humiditatē & siccitatem, quamquam ad certū gradum mediumq́ue redactas. Dicendum itaque videbitur, in mixtione quauis, remanere actu qualitates primas, refractas tamē vicissimq́ue mixtas ea temperatione, que mixtioni conueniat. Cum ergo hoc modo in mixtis sint elementa, quę ita contraria sunt, vt eorum pugna & bellum numquam cesset, hoc odium perpetuò duret, & vnumquodque reliqua omnia in suam naturam cōuertere nitatur, fit vt meritò veteres mixtionem ex elementis conflatam, appellarint φιλεχθρον.i. odiosam, inuidia ardentē, & inimicitiarū plenā. Illud autē elementum in mixto inclusum suum contrarium vincet, quod adiuuabitur à sui simili externo. Vt si calidum externum sit vehementissimum, adiuuabit

Humores efficiūt mixtionem odiosam & elementa

Ca. 14.

In mixtis nō sunt elementa actu profecto, nec sola potestate.

In mixtis sūt elementa actu remisso.

Mixtio ex elementis, cur odiosa dicatur.

ita calorem in mixto existentem, vt frigus, quod in eodem inest, superet. Contra verò, si frigus externum fuerit validũ maximè. Id quod de humore & siccitate, eodem modo iudicandum est.

Contrarium in mixto vincit alterũ contrariũ adiutũ ab externo simili.

Ἀλλὰ τὰ μὲν στοιχεῖα τὰ αὐτὰ πάντως εἰσὶ, καὶ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ ἕκαστον μένει τόπῳ. καὶ τῇ πρὸς ἄλληλα μεταβολῇ τὴν διαμονὴν ἔχει καὶ τῇ ἀναλόγῳ τροφῇ προνοητικῷ τινὶ λόγῳ τρεφομένων. καὶ καιρὸς ὡσαύτως ταῖς πρὸς νότον καὶ βοῤῥᾶν τοῦ ἡλίου κινήσεσι γίνεταί τε καὶ λέγεται. χυμοὶ δὲ οὐχ ὡσαύτως, οὐδ᾽ οἱ αὐτοὶ πάντῃ εἰσὶν, ἀλλὰ, διενηνόχασιν ἀλλήλων, καὶ τόπῳ, καὶ χροιᾷ, καὶ δυνάμει, συστάσει τε καὶ ποιότητι.

Sed elemẽta quidem, eadem omnino sunt: & eorum quodque in eodem permanet loco: & inter se mutatione, permansionẽ habent, alimentoq́ue hisce, quæ nutriuntur, proportione respondente: idq́ue, fit ratione quadã prouidente. Atque etiã tẽpestates eodẽ modo motionibus solis ad austrũ & boreã & fiũt & appellãtur. Humores verò non eodem modo: neque iidem omni ex parte sunt, verum inter se differunt, & loco, & colore, & facultate, & consistentia, ac qualitate.


Is verbis tũ ſimilitudo tũ diſsimilitudo ſubiecta eſt. Similitudo quidẽ inter elemẽta ac tẽpeſtates, q̃ eſt, queãdmodum elementa ſunt eadem omnino, ita & tempeſtates. Diſsimilitudo verò inter elementa & humores, quæ eſt, non quemadmodum elementa ſunt eadem omnino, ita & humores ſunt iidem, ſed inter ſe differũt loco, colore, facultate, cõſiſtẽtia, & qualitate. Quib⁹ certè verbis, cum Galenus inquit elementa eadem eſſe omnino, innuit eſſe eadem loco, colore, facultate, conſiſteria, & qualitate. Quod meritò alicui admirationem excitabit, cum perſpicuum ſit omnibus, elementa differre & loco, quandoquidem ignis ſupremum, terra infimum, aer & aqua medium, ille tamen paulo ſuperiorem, hęc paulo inferiorem occupet locum: Et colore, Nã quamquã tria ſint elementa, quę in colore conueniant, quartum tamen ab illis colore differt. Ariſtoteles enim in libello de coloribus, qui eius nomine inſcript⁹ ad nos peruenit, atribuit colorem albũ aeri, aquæ & terræ, ignem verò & ſolem flauum facit. Quæ an vera ſint inueſtigare, alterius ſit temporis: Et facultate, quippè ignis facultatem cõburendi, aer humectandi, aqua refrigerandi, terra ſicandi, ſi vni elemento vna qualitas tribuatur, poſſideat: Et conſiſtentia, ignis enim tenuiſsimus eſt, terra craſsiſsima, aer & aqua media, ille tamen tenuior, hæc craſſior: Et qualitate, nemo enim neſcit qualitates elementorum eſſe inter ſe diuerſas. Quid ergo dicẽdum? Exiſtimo Galenum non conferre elementa inter ſe, vt velit quatuor elementa eſſe idem. Nã

Elemẽta differunt inter ſe loco, colore facultate, conſiſtentia, qualitate.

hoc nullo modo esse posse, demonstrauimus: sed conferre vnumquodque elementum cum se ipso seu partes vnius elementi cum partibus eiusdẽ ele ti: vt sit sensus: omnes partes ignis, seu omnis ignis scilicet, vt dicũt, elementaris, (de hoc enim disputatio suscipitur) est idẽ & loco communi, omnis namque ignis elementaris, est in supero loco: & colore, cum omnis ignis sit flauus: & facultate, cũ ignis omnis facultate comburẽdi sit præditus: & consistentia, quandoquidem omnis ignis est tenuis: & qualitate, nam ignis omnis calidus & siccus est. At bilis flaua naturalis, quæ igni proportione respondet, non est eadem nec loco, Nam si omne animal conueniẽte sibi nutriatur alimento, vt in

Ignis omnis est idem loco Colore faeultate cõsistẽtia Qualitate

Bilis flaua omnis non est idem loco.

C. 2. tertio de temperamentis Galenus tradidit: & nutritio sit, ad id quod nutritur, eius quod nutrit, as-

C. 2. similatio, vt in primo de facultatibus naturalibus est posteritati relictũ, profectò melancholica mẽbra, melancholia: pituitosa, pituita: sanguinea, sanguine: biliosa, bile, vt nutriantur indigebũt. Cum ergo aliquid biliosi temperamenti sit, & in superiore & in inferiore parte corporis nostri, pars alia bilis ad superum, alia ad inferum locum feratur necesse est. Quapropter omnis bilis non est eadẽ loco. Nec colore, quia quæ superum corporis locum capescit, est paulo flauior, siquidem tenuior, quæ verò inferum petit minus flaua: Nec facultate omnino, cum quæ sursum scandit, maiore cale faciendi facultate sit prædita, minore verò quę deorsum, quamquam eadem facultate generali sint præditæ, non æquabiliter tamen. Nec consistentia, quæ enim superum nostri corporis petit locũ

Quodq; nutritur, conueniẽte alimẽto

Nntritio quid sit.

Bilis omnis non est eadẽ colore, facultate, consistẽtia, qualitate.

tenuior, quæ inferum crassior. Nec denique qualitate omnino & æquabiliter, calidior namq; est quæ sursum subuehitur, minus verò calida, quę deorsum delabitur. Nunc de aere, & sanguine proportione illi respõdente dicamus. Omnis aer syncerus est idem & communi loco, qui est inter aquam & ignẽ interiectus: & colore, omnis enim aer est albus: & facultate, cũ aer omnis humectãdi facultate constet, si vnicuique elemento vna qualitas sit accommodanda: & consistentia, cum omnis aer sit tenuior aqua & crassior igne: & qualitate, quoniã omnis est calidus & humidus. At omnis sanguis non est idem loco: cum enim sanguineas partes, sanguine nutriri Galeni sententia demonstrauerimus, & sanguineæ partes, aliæ sint in corpore superiores, aliæ inferiores, profectò natura duce alia sanguinis pars sursum, alia deorsum feratur necesse est: & ita omnis sanguis non erit idẽ loco. Nec colore, Nam cum sanguinem in arteriis contineri, copiosissima oratione docuerit Galenus contra Erasistratum, in libro inscripto, Quod sanguis continetur in arteriis, ibi sanguinem eum flauiorem esse dicit. In libro autem de atra bile sic scribit, Igitur magna ex parte rubeus color in hoc humore exuperat, & talis exactè optimus sanguis existit. Si ergo sanguis qui cõtinetur in venis sit ruber, qui verò in arteriis flauior, profectò non omnis sanguis est idem colore. Nec facultate æquabiliter: qui enim in venis est, magis facultate humectandi, qui verò in arteriis minus, est pditus. Quã quã cõmunẽ facultatẽ participent. Nec cõsistẽtia: Nã qui in arteriis locũ habet, est tenuior, qui in ve

Aer omnis est idẽ loco, colore, facultate, cõsistẽtia, qualitate.

Sanguis oĩs nõ est idẽ loco, colore, facultate, consistentia, qualitate.

Ca.1

nis carſsior,& vtriuſq; pars ea q̃ ſurſum fertur, ad tenuitatẽ, q̃ deorſũ, ad craſsitudinẽ magis vergit. Nec qualitate æqualiter: qui.n.eſt in arteriis calidior eſt, etſi p̃diti ſint generali qualitate. Nunc de aqua & pituita, quę illi ſimilis eſt, dicamꝰ. Oĩs aqua ſyncera, eſt eadẽ & loco cõmuni, qui inter aerẽ & terrã eſt medius: & colore, oĩs.n.eſt alba: & facultate, cũ facultatẽ humectãdi à natura acceperit: & cõſiſtentia, nã omnis eſt craſsior aere, & tenuior terra: & qualitate, ꝓpterea ꝙ omnis aqua eſt frigida & humida. At pituita oĩs vel naturalis, nõ eſt eadẽ loco, qm̃ alia eius pars, ad ſuperiores corporis partes pituitoſas alẽdas fertur, alia ad ĩferiores, Nec colore, quę.n.delabitur albior, q̃ euehitur, minꝰ alba apparet. Nec facultate ęqualiter, maiorẽ enim refrigerãdi facultatẽ, eã, quę deorſum, quam quę ſurſum ducitur, obtinere, rationi cõſentaneũ videtur: quãquã cõmunẽ facultatẽ obtineãt: Nec cõſiſtẽtia, tenuior.n.eſt quę effertur, craſsior quæ defertur: Nec qualitate æquabiliter, cũ hæc magis frigida & humida, illa minus cernatur. Denique de terra, & ſucco nigro proportione illi reſpondẽte, diſſeramus. Omnis terra eſt idem loco, cum inferum occupet locum: & colore, nam omnis candida eſt: & facultate, cum quæuis terræ ſynceræ pars, ſiccandi facultatem ſit nacta: & conſiſtentia, quandoquidem omnis eſt craſiſsima: & qualitate, ꝓpterea quòd omnes terræ partes, ſunt ſirigidæ & ſiccæ. At ſuccus niger naturalis, omnis non eſt idem loco, cum natura lege, vna eius pars, ad id ꝙ eſt melancholicum in ſuperiore corporis parte locatũ ducatur, altera ad id ꝙ eſt in-

Aqua omnis eſt idẽ loco, colore, facultate, conſiſtentia, qualitate.

Terra omnis eſt idem loco, colore, facultate, cõſiſtentia, qualitate

Humor niger nõ eſt idẽ loco, colore, facultate, conſiſtentia, qualitate.

inferiore: Nec colore, nec facultate, nec consistẽtia, nec qualitate. Rationi enim consentaneum est maximè, vt ea nigri humoris pars quæ fertur sursum, differat ab ea quæ dorsum, colore, facultate, consistentia, qualitate, idque eo modo, quo de reliquis humoribus explicatum est superius. Hactenus expositum est, quomodo illud Galeni pronunciatum, elemẽta eadem omnino sunt, videatur intelligendum: Itemque illud, humores non sunt idẽ omni ex parte, sed differũt inter se loco, colore, facultate, consistentia, & qualitate. Vbi aduertas illud ἀλλήλων, id est inter se, non significare, ipsosmet humores inter se esse conferendos, sed partes vnius humoris, cum partibus eiusdem humoris, vt partes bilis cum partibus bilis, & partes sanguinis cum sanguinis partibus. Idemque de pituita, nigroque humore dicendum. Cæterum horum duorum pronunciatorum, quamquam alterum sit primum huius contextus, & alterum postremum, attamen explicationem vnà coniuxi, tum quia sibi vicissim respondẽt, tũ quia primum non poterat planè explicari, citra postremi interpretationem, tum denique quia si separatim postremum fuisset explicatum, multa ex primi interpretatione, repetere oportuisset. Te autẽ hoc loco admonitum velim, quæ de elementis dicta à nobis sunt, intelligi oportere, de elementis synceris, in sua natura & per se spectatis, nõ quatenus vel torquentur in orbem à primò mobili, vel agunt vltro citroque & patiuntur. Si enim ita spectarentur, multa, iisce quæ diximus, possent opponi. Eodemque modo volumus ea quæ de hu-

moribus diximus esse intelligenda, nimirum qua ex parte humores sunt naturales, & in vniuersum corpus naturæ lege, ad similes sui partes alẽdas feruntur. Iam tempus est vt reliqua pronunciata, explicatione persequamur. Ac primum illud, vnumquodq; elemẽtum in eodem permanet loco, videtur hoc modo explicari posse. Vnumquodque elemẽtum propriam obtinet formam, Propriam autem cuiusque elementi formam, certæ quędam qualitates sequũtur. Ignem quidem, esse lęuẽ simpliciter, terram esse simpliciter grauem, aera & aquam, esse grauia & lęuia per comparationem. Læue autẽ simpliciter, seu leuissimum est id, vt in primo de cælo Aristo. docet, quod omnibus, quę supera capessunt, extat & eminet, qualis est ignis.

Pronunciati secundi explicatio.

Elementum quod cur in eodem permaneat loco.

Leue simpliciter.

Ca. 3 Graue simpliciter, seu grauissimũ est id, quod omnibus, quæ deorsum ferantur, substernitur. Leue per comparationem est, quod cum vno elemento comparatum, eam vim habet, vt ascendat, cum altero, vt descendat, vt aer. Graue per comparationem est, quod cum vno elemento collatum, vi ea est præditum vt descendat, cum altero, vt ascendat, vt aqua. Cũ ergo ignis sit leuissimus, terra grauissima, aer læuis per comparationem, aqua vero per comparationem, grauis (vt illa quatuor, quatuor elementis accommodemus) Cum inquam huiusmodi qualitates, naturę præscripto, perpetuò ipsa elementa comitentur, profectò efficitur, vt ignis semper in supero loco, terra in infimo, aer & aqua in medio, ita tamen vt ille hac superior sit, manere videatur. Quare elemẽtũ quodque, in eodem permanet loco, Tertium pronun-

Graue simpliciter.

Leue per cõparationem.

Graue per cõparationẽ.

Pronunciati tertij explicatio.
Elementum quodque cur perpetuetur.

ciatum erat, elementa mutatione inter se, alimentoque sibi proportione respondente, permansionē habent. i. perpetuātur. In quo perpetuitatē ipsorum elemētorum Galenus refert in mutationē vicißitudine effectam, & in alimentum, veluti in duas causas: aut certè posterius, ad prioris expositionem adiectum est. Cum inquit Galenus elemēta perpetuari mutatione, vicißitudine quadam cōstante, seu ortu interituque vicißim ex elementis effecto, verum est: sed tamen talis vltro citrόque mutatio est veluti instrumentum quoddam perpetui ortus elementorum, non autem causa effectrix. Idcirco vt hic dignißimus cognitu loc9, plenißimè intelligatur, inuestigabimus breuiter quæ sit cau sa effectrix perpetuæ generationis non elementorum solum, verum etiam aliarum omnium rerum. Atque vt ordine nostra progrediatur oratio, primum docebimus ortum rerum esse perpetuum, cum mundus ab Aristotele statuatur æternus: Deinde demonstrabimus causam efficientem perpetui ortus esse motum cæli, non quidem diurnum, qui efficitur super polos mundi, sed qui efficitur super circulum obliquum, vocatum zodiacum: Postremo eiusdem perpetui ortus effectricem causam, esse primum motorē. Ortum itaque rerum perpetuata quadam continuatione cōtineri, in. 2. de ortu & interitu sic Aristo. videtur demonstrare. Motus cæli est perpetuus, igitur ortus rerum est perpetuus. Antecedens sic munit, tēpus est perpetuum, ergo motus cæli est perpetuus Consequutio perspicua est, quia tēpus est primò mensura motus cęli, vt in quarto de rerum princi

Ortus rerum est perpetuus.
Motus cæli est perpetuus.
Tēpus est perpetuū ratione præteriti.

Ca. 10.
Ca. 2

piis explicatur: ergo si mẽsura est perpetua, id etiã ꝙ mensura exstimatur, perpetuũ erit. Tẽpus autẽ perpetuũ esse, sic cõfirmari potest: si tẽpus non sit perpetuũ, & sit, certè incępit esse, si incępit, ergo in tẽpore. Est enim Aristotelicũ placitũ, omne ꝙ incipit, in tẽpore incipere, at tẽpus in tẽpore non incipit, quia tẽpus ante tẽpus esset, ꝙ absurdũ est, ergo tẽpus non incępit. Quare tẽpus est ęternũ ratione partis antecedẽtis. Eodẽq; modo ꝓbari potest perpetuũ esse ratione partis cõsequẽtis. Si enim desinit, ergo in tẽpore desinet Quapropter tempus post tempus remanebit. Quod absurdum est. Præterea inquit Aristo. in eodem loco. Natura omnibus in reb⁹ semper desiderat id quod melius est, melius autẽ est rẽ semper esse, q̃ nõ esse. Igitur melius est hæc inferiora semꝑ esse, q̃ aliquãdo non esse. Verũ non possunt se ipsa perpetuare, cum interitui sint obnoxia, nisi succeſsione ab eo quod generat effecta. Quare necesse est ortum rerum esse continuum & perpetuum, vt hæc inferiora, in specie saltem, perpetuentur omnia. Hactenus ortum perpetuum esse, demonstratum est. Nunc motum cæli esse causam perpetui ortus, ostendamus. Quoniam autem motus cæli dupliciter spectari potest, vno vt est primi mobilis, altero vt est planetarum per orbem signiferũ seu zodiacum: dicimus, motum primi mobilis, qui efficitur super polos mũdi, quẽ ęquinoctionalis in duas partes æquales diuidit, non esse causam ortus & interitus perpetui rerum. Nam si motus primi mobilis esset causa ortus & interitus, profectò efficeretur vt ortus rerũ, eodem semper

Tẽpus est æternum ratione futuri.

Motus cæli causa est perpetui ortus.

Motus cæli effectus super polos mũdi, nõ est causa perpetui ortus.

modo esset. Quod sensui repugnat. Animaduertimus.n. sole accedente ad nostrũ, quod Astrologi appellãt, zenith, tempore æstatis, res generari: eodem verò recedente, vt tempore hyemis, res non generari, quin potius interire, potissimum quę radicibus terræ inhęrẽt. Quod autem ortus fieret semper eodem modo, sic Aristo. docet. Idem, ꝙ semper maneat idẽ, efficit semper idem.i. si est aliqua causa, quæ nullam vnquam in se mutationem habeat, semper effectum eodẽ efficit modo. Motus autem primi mobilis est semper æquabilis, nullamq́ue varietatem habet. Eodẽ igitur modo perpetuò ortum efficeret: quod à ratione est alienũ. Cũ itaq; motus primi mobilis, perpetui ortus causa esse non possit, nunc doceamus, motũ planetarum per orbem signiferum, seu zodiacũ, ortus & interitus perpetui causam esse. Nam in horũ motu est varietas. Cum enim per vnam signiferi orbis partem mouentur planetæ, ad nos accedunt, vt cum mouẽtur, per pisces, arietem, taurum, geminos, cancrum, atque leonem: & hoc quidẽ modo ortus causa existimantur. Cum verò per alteram partẽ mouẽtur, recedunt à nobis, vt cum mouentur, per virginem, libram, Scorpium, sagittarium, capricornum, aquariumq́ue, Atque hoc certè modo interitus causa putantur. Quocirca his verbis inquit Aristo. Ac continuationis perpetuitatisq́ue causa est motus vniuersi, Accessionis verò & recessus ipsa inflexio. Sic enim fit, vt interdum dum procul absit, interdum propè sit. Quoniam autem dispar & inæquale est interuallum, non erit motus æquabilis. Ita si aliquid ex eo gignit ꝙ

Motus planatarum per orbem signiferum, est causa perpetui ortus.

accedat & propè ſit, ex eo etiam quod recedat & procul abſit,hoc idem interimit.Et ſi ex eo generat,quòd ſæpe accedat, interimit etiã ex eo quòd plerumque abeat & recedat. Poſtremo eiuſdem perpetui ortus effectricem cauſam eſſe primũ motorem,oſtendamus. Nam eſt primus motor, qui mouet,eſt primum mobile,quod à primo motore mouetur. Ergo ſi primus motus, qui eſt motus cæli,eſt cauſa perpetui ortus & interitus,vt probatũ eſt,efficitur profectò vt primus motor ſit cauſa eorumdem. Si verò dixeris demonſtratum eſſe motum planetarum per ſigniferum orbem eſſe ortus cauſam, non motum primi mobilis, planetas autem moueri per zodiacum nõ à primo motore,ſed ab intelligentiis eorum orbes regentibus,ergo primus motor non erit cauſa effectrix ortus perpetui. Tibi ad hoc reſpondeo, & ſi primus motor non moueat,vt dicunt,immediatè planetarum orbes,attamen virtutem intelligentiis eos mouentibus impartitur. Vnde mouent virtute & beneficio primi motoris: quẽadmodũ omnia quæ in exercitu fiunt, aguntur authoritate & virtute primi ducis. Ex quibus omnibus tibi perſpicuum eſſe puto,quomodo elemẽta (vt inquit Galenus) mutatione inter ſe facta, perpetuitatẽ conſequantur. Nam hæc verba Ariſtoteles poſteritati reliquit in eodem ſecundo de ortu & interitu libro. Perpetui ortus (inquit) quemadmodum ſępe dixi,cauſa eſt motus,qui in orbem circumq́ue fertur,quandoquidem is vnus continuus eſt. Itaque cætera omnia quæ affectionibus & facultatibus, vt ſimplicia corpora, in ſeſe viciſſim vertuntur,

Primus motor eſt cauſa perpetui ortus.

Obiectionis ſolutio.

Elemẽta mutatione viciſſim effecta perpetuãtur, quia imitantur motum perpetuum.

Cap. 10.

motum eum, qui in orbem incitatur, imitantur. Cum enim aer ex aqua oritur, & ex aere ignis, rursusque ex igne aqua, in orbem ferri ortũ dicimus, quòd retro vicissim commeat. Itaque rectus elementorum motus, cum eum qui in orbem fertur imitatur, continuus est, & ęternus. Interdum ergo ex igne generatur aer, interdum ex aere ignis, ex igne aqua, ex aqua ignis: idemq; in cęteris, pro vario planetarũ motu: Tales enim in elementis mutationes efficiuntur, accedentib⁹ ipsis & recedẽtibus. Iam orationem nostram conuertamus ad explicandam alteram huius tertij pronunciati partẽ, quæ erat: elementa alimento sibi proportione respondente perpetuari. Quibus sanè verbis indicat elementa nutriri. Id quod de igne cum multis aliis in locis, tum vel maxime in. 2. de anima Aristo. fatetur, iis verbis: contrarium videtur ali à contrario: non omnia tamen ab omnibus, verum ea cõtraria quæ non solum ex se vicissim oriuntur, sed etiam augescunt. Multa enim mutuam habent originem, sed non omnia à contrario accretionẽ capiunt, vt valetudo ex ægrotatione oritur. Verum ne hæc quidem eo modo à se vicissim alũtur, sed igni aqua pastum præbet, aquam autem ignis alere non videtur. Hanc autem Aristotelis authoritatem duabus rationibus corroborare possumus. Prima, ignis cæterorum elementorum est forma, quemadmodum in secundo de ortu & interitu scriptum est, nam vt formæ est contineri, ita ignis continet cætera elementa, forma autem nutritur non materia. Siquidem eodem in loco ait, id nutriri quod manet, non quod fluit, forma verò ma

Elemẽta cur ex se vicissim oriantur.

Ignis videtur ali.

Quænam cõtraria alãtur

C.4.

Ignis est forma cæterorũ elementorum

net, materia autem fluit perpetuò. Altera, ignis ob maximã vim ad agendum, conuertit facillimè aera, aquam, & terram in naturam suam, hæc autem illum non facilè: ob eamque causam ille his, non hæc illo videntur nutriri. His itaque & similibus quis impulsus, credere posset Aristotelis sententia solum ignem nutriri, non reliqua elementa Sed si ignis nutritur, quia in suam naturam cõuertat reliqua elementa, cur reliqua quoque non nutrientur, cum & ipsum ignem in suam naturã mutare possint? Nam etiam si ignis eodem pondere, vel mole sumptus, quo cætera elemẽta, maiorem ad agendũ vim obtineat, q̃ reliqua elementa, attamẽ si ignis exẽpli gratia sumatur vt duo, aer autẽ, aut aqua, aut terra, vt centũ, maiorẽ vim ad agendum q̃ ignis habebunt, eumq́ue in se conuertent, hocq́ue modo reliqua elementa igne ali posse videbuntur. Quapropter omnia elemẽta à se vicissim videbuntur nutriri, non autem solus ignis ab aliis ali. Verumq́ue videbitur esse ꝙ Galenus hîc tradit, elementa omnia alimento sibi proportione respondente perpetuari. Quid ergo dicẽdum, est ne Aristoteles hallucicatus? Minime gentium. Nõ enim Aristo. existimauit, nec existimare debuit, ignẽ & reliqua elemẽta nutriri, vt mox docebo. Et cũ in .2. de anima inquit aquã pastũ præbere igni, nõ autẽ cõtra, intelligẽdũ est, magis apparere, & sensu ꝑcipi ignẽ generari ex aqua aqueisve reb⁹, & reliquis elemẽtis, q̃ hęc ex igne: & si ꝙ elemẽtũ ali ponẽdũ est, certè ignis hoc vnũ esse ponendũ, ob maximã illius ad agendum virtutem. Cũ ergo in rebus vel aqueis & aereis vt adipe, oleo, & simi

Cætera elementa aluntur si ignis alatur.

Ignem ali aqua, quid sit.

Ignis non alitur sed generatur.

libus, vel terreis, vt lignis, incensus est ignis, nō nutriri illis, sed ex illis generari perpetuò. Quòd autem non putauit Arist. nec ignem, nec reliqua elementa alj, indicant hęc eius verba, in. 2. de anima in hanc seriem scripta. Nihil imminuitur aut crescit naturæ lege, quod nō alatur, & nihil alitur, quod non sit vitæ particeps. Et paulo post.

Nullum elementum alitur aut crescit propriè

Quoniam autem nihil vitæ expers alitur, corpus certè animantum sit necesse est, quod alatur, & quatenus animatum est. Ex quibus perspicuum est nullum elementum, non solum non ali, sed neque crescere. Nam si id quod propriè alitur proprieque crescit, sit animatum, nullum autē elementum sit animatum, elementum profectò nullum nec alitur nec crescit propriè. Quanquam improprie & per quādam translationem, interdum dicatur. Ergo nullum elemētum nutritur Aristotelis sententia. Cur igitur Galenus se vicissim elementa omnia nutriri hîc tradit? An quia vsurpauerit nutritionem pro ipso ortu? Oriūtur enim omnia ex se vicissim. Non secus ac Aristoteles, qui cum ignem aqueis rebus nutriri affirmaret, nutritionem pro ortu vsurpari videbatur. Quid est ꝙ Galenus ait, alimento sibi proportione respondēte? Intelligendum est, certam quandam esse elemētorum quantitatem, à natura præscriptam. Nam quæ est proportio partis ad partem, eadem est totius ad totum. Experientia autem compertum est inter partem aeris & partem aquæ, non esse exuperantem quandam proportionem, sed solum decuplam. Sicut ergo aer est decuplus ad aquam, sic ignis ad aerem, & aqua ad terram. Ex quibus effi-

Elemēta per quandam metaphoram dicūtur ali & augeri.

Elementa definitam quātitatem à natura habent.

Quæ proportiones sint inter elementa.

citur ignem esse decuplum ad aerem, centuplum ad aquam, millecuplum ad terram, quamquam a-
C.4. lij aliter sentiant. Sed terra definita magnitudine constat, igitur & reliqua elementa definitam magnitudinem habebunt. Cæterum si exponamus perpetuam esse elementorum inter se mutationẽ, facilius docebimus quod nobis propositũ est ad explicãdum. Aristoteles in primo meterorum, inquit, verùm semper quæcunque ignis particula pondus habere cæperit, extruso in superum locũ calido, deorsum ruit, & alia in parte aer simul fertur sursum exhalante igne. Ac ita continuè aere aliud, aliud igne oppletum perseuerat, & eorum quodque aliud subinde atque aliud euadit. Hęc ille. Quod ideo euenit, quia plerunque aliqua ignis pars subiecta est alicui syderi, quod (si Astrologos sequamur) frigidum est, à quo grauis fit & mouetur deorsum ad aeris locum, atque in aerẽ conuertitur. Similiter plerumque aliqua aeris pars, sub aliqua (vt dicũt) constellatione calida locatur, quæ lęuis efficitur, & ob id mouetur sursum ad ignis locum, ac in ipsum mutatur. Atque hoc modo ignis & aer perpetuãtur. Idem de aqua terráque intelligendum. Præterea tempore ęstatis, accedente sole ad nos, videmus flumina & aquas, aut omnino, aut magna ex parte exsiccari, & in aerem vel ignem verti: recedente verò à nobis sole, iterũ flumina aquis repleri, & cum aqua generetur, ex aliquo generetur necesse est: aut ergo ex aere, vel igne, vel vtroque. Ex quibus patet aliquando non esse eam elementi quantitatem, quæ esse deberet, sed aliquando maiorem, aliquando minorem, id-

Elementorũ inter se perpetua est mutatio.

Vnde partes elementorum aliæ sursum aliæ deorsum ferantur perpetuò.

Cur elemẽtorũ quantitas mutetur.

que ſyderum motibus. Quibus etiam efficitur, vt preſcriptam à natura quantitatem accipiant, vt cũ aqua eſſet minor quam deberet, ex tanto aere generatur tanta aqua, vt ad pręſcriptã à natura quãtitatem perueniat. Si paulo vel minor vel maior euadat aquæ moles, nihil refert. Idem de reliquis elementis iudicandum. Ergo elementa nutriri alimento proportione ſibi reſpondente, nihil aliud eſſe videtur, quam cum aqua exſiccata eſt, ex aere, vel alio elemento, tantam gigni copiam aquæ, vt ad molem, quam naturam illi conceſsit, perueniat Contraque cum aer imminutus eſt, eo quod in aquam magna eius pars ſit mutata, ex aqua tantam aeris copiã oriri, vt attingat molem ſibi pręſcriptam. Eodemque modo, cũ aer imminutus eſt eo quod magna aliqua eius pars in ignem ſit conuerſa, ex igne iterum generatur aer, ita vt ad definitã magnitudinem perueniat: & ſi eam tranſit, non ita tranſit quaſi in infinitum progrediatur, totum ignem ſpoliando, ſed elementis certi quidam conſtituti ſunt fines in maiore cõparanda magnitudine, ad quos cum peruenerint, retro commeent neceſſe eſt. Quapropter elementa perpetuari alimento proportione reſpondente, videtur eſſe, ꝙ uis elementum cum fuerit imminutum, ex altero vel aliis, illius tantam gigni copiam, vt ad præſcriptam à natura quantitatem perueniat. Siue ad eam exactè ꝑueniat, ſiue paulo infra cõſiſtat, ſiue paulo longius progrediatur & tranſeat, nihil refert.

Quid ſit elemẽta nutriri alimento ꝓportione ſibi reſpondente.

Quid eſt quod Galenus ait, Prouidente ratione aliqua, ſeu diuina quadam prouidentia, elementa perpetuari mutatione inter ſe, & alimẽto ſibi pro

Elemẽta perpetuẽtur diuina prouidentia.

Ca.2.

portione reſpondente? Ariſtoteles in primo me- teorum inquit. Eſt autem neceſſario hic mundus inferior continuus ſupernis lationibus, vt inde vir tus eius vniuerſa regatur. Intelligendum eſt au- tem hūnc inferiorum mundum, multis modis gu bernari à ſuperiore mundo. Primum enim eate- nus gubernari dicitur, quatenus res huius inferio ris mundi, cum antea non eſſēt, à mundo ſuperio- re generantur. Deinde eatenus gubernantur, qua tenus cum genitæ ſunt, conſeruantur. Poſtremo quatenus continētur in officio, naturali ordine, conueniente proportione, latitudinem tamen ha bente, ne vnū contrarium alterum ita ſuperet, vt totum illud in ſuam naturam conuertat. Ariſtote les etiā in fine.12.metaphyſicorū ſic ſcripſit, vt eti am vetus tranſlatio habet: Veterū quidā principia multa faciunt. Entia verò nolunt male diſponi, nec bonum pluralitas principatuum. Vnus ergo princeps. Ex quibus efficitur hoc vniuerſum eſſe vnum veluti principatum & regnum, proinde o- portere illud ab vno principe gubernari. Quem- admodum ergo omnis princeps hoc vnum pro- poſitū habet, vt illos qui in eius ſunt poteſtate, me diis quibuſdam ac optimis legibus ita inſtituat ac informet, vt benè operentur, & optimum finem conſequātur.i. fælices quoad humana natura pati tur, euadant: quę oīa poſtea q̄ ꝓpoſuit, & animo voluit, deinde ſeligit aliquos, veluti miniſtros le- gū obſeruādarū.i. qui faciant vt cæteri oēs in ciui tate habitātes, ſint legibꝰ ſubiecti, eaſq; oēs obſer- uēt, ita Deus optimꝰ maxi.tāq̄ ſūmus omniū prin ceps, ſecū vnà ordine ſtatuit, vt res oēs idoneis me

Mundus inferior multis modis gubernatur à ſuperiore.

Principi quænam propoſita ſint.

diis in proprium ferantur finem, atque ea agant quæ cuiusque naturæ sunt accommodata, exempli gratia, vt ignis in sublime feratur, terra ad centrum prouoluatur, vnumquodque animal aliquid sui simile procreet: & talis ordo dicitur prouidentia, quæ hoc modo definiri consueuit.

Prouidentia quid sit. Prouidentia est ευταξία .i. optimus rerum ordo, in finem, per idonea media, in mente summi principis Dei constituta. Vt autem hic ordo seruaretur, mandauit Deus secundis causis, veluti rectoribus quibusdam ac gubernatoribus, quæ hisce inferioribus rebus dominarentur. *Causæ secundæ quæ sint.* Causæ verò secundæ quæ huic mundo presunt sunt stellę errantes, & alia sydera, quę vario influxu, motu, coniunctione, & aspectu, faciunt vt hæc inferiora omnia vel oriantur, vel intereãt. Ex quibus perspicuum est, verum esse id quod Galenus tradit, prouidente aliqua ratione, elementa perpetuari mutatione & alimento. Iam tempus est vt quartum pronunciatum aperiamus, quod erat: *Quarti pronunciati explicatio.* tempestates eodem modo motionibus solis ad austrũ & Boreã & fiũt & appellantur. Quibus verbis diximus Galenũ similitudinem inter elementa & tempestates facere, vt quemadmodum elementa sunt eadem omnino, ita & tempestates sint eædem omnino. Vbi animaduertenda sunt duo, alterum, tempestates non esse idem colore, consistentia, vt erãt elementa, siquidem talia tempestatibus non conueniunt, quamquam loco, facultate, & qualitate sint idem, vt mox explicabo. Alterum tẽpestates omnes inter se non esse conferendas. Quid enim ineptius, quàm hyemem esse idem quod estas. Sed vnãquã

que cũ ſeipſa , vt hic ſit ſenſus, omne ver eſt idem cauſa efficiente, loco, facultate, qualitateque. Item omnis æſtas eſt eadem cauſa efficiente, loco, facultate & qualitate: id quod de autumno, & hyeme dicendum eſt. Hæc autem omnia vera eſſe intelligemus, ſi quænam ſigna ſol percurrat vnaquaque tempeſtate dicamus. Quod appoſitè cecinit in ſecũdo libro de aſtronomicis rebus Marcus Manilius, vbi quatuor anni tempeſtatibus propria ſigna diſtribuit, hiſce carminibus. *Quæ ſigna quaque tempeſtate ſol percurrat.*

Temporibus quoq; ſunt propria pollentia ſigna.
Æſtas à geminis, autumnus virgine ſurgit.
Bruma ſagittifero, ver piſcibus incipit eſſe.

Ex quibus intelligitur veris tempore, ſolem percurrere, Piſces, Arietem, Taurum. Tempore verò æſtatis, Geminos, Cãcrum, Leonem. Tẽpore autem autumni, Virginẽ, Libram, Scorpiũ. Hyemis denique tempeſtate, Sagitarium, Capricornũ atque Aquarium. His ita conſtitutis, doceri facile poteſt, omne ver eſſe idem & cauſa efficiente, cũ omne ver à ſole perficiatur: & loco, cum in omni vere, Sol Piſces, Arietem, Taurumq́; cõficiat: & qualitate, omne enim ver tẽperatũ eſſe docuimus: & facultate, hanc namque facultatem habet ver omne, vt ſi aliquod corpus bonis humoribus refertum excipiat, hoc ſeruet ſaluberrimum, nihil ex propria natura nouans, aut immutans. Eodẽq; modo omnis æſtas eſt eadem & cauſa efficiente, ſol enim omnem efficit æſtatẽ: & loco ſeu ſignis, cum quouis æſtatis tempore, Geminos, Cãcrum, atque Leonem ſol percurrat: & qualitate, omnis enim eſt calida & ſicca: & facultate, ſiquidem cale *Ver omne eſt idem cauſa efficiente, loco, qualitate, facultate.* *Æſtas omnis eſt idẽ cauſa efficiente, loco, qualitate, facultate.*

Autumnus omnis est idẽ causa efficiente, loco, qualitate, facultate.

faciendi facultate atque ſiccandi eſt prædita. Omnis autumuus eſt idem & cauſa efficiente, quando quidẽ à ſole perficitur omnis: & loco, ſol. n. autũni tẽpore quouis, luſtrat virginẽ, librã, & ſcorpiũ: & qualitate, ſiccus nanque eſt, & inæqualis in frigore atque calore, aut certè temperatus, vt ſuperius docuimus: & facultate, à ſuis qualitatibus manante. Denique hyems omnis eſt eadem cauſa efficiente, Fit enim hyẽs omnis à ſole: & loco, propterea quod ſol luſtrat ſagittarium, Capriconum, Aquariũ: & qualitate, quoniã omnis eſt frigida humidaque: & facultate, cũ hyẽs omnis eã vim habeat, vt refrigerare ac humectare poſsit. Perſpicuum eſt igitur quomodo tempeſtates ſint eædẽ omnino, eodẽque modo ſemper fiãt motionibus ſolis.

Hyems omnis eſt idem cauſa efficiente, loco, qualitate, facultate.

quatuor mundi partes.

Quid eſt quod Galenus ait ad auſtrum & boreã motionibus ſolis fieri tempeſtates? Intelligendum eſt autem, vt docet Ariſto. cum multis aliis in locis, tum vel maximè in. 2. meteororum, quatuor eſſe mundi partes, ortum, occaſum, meridiẽ, & ſeptentrionẽ, A quarũ vnaquaque flat proprius vẽt⁹. C. 6.

Venti flentes ab ortu.

Ab ortu flat ſubſolanus vẽtus, quẽ ſubſolanũ dictũ volunt, quia ſub radiis ſolis oriatur. Hic vtrinque vnũ habet, à dextra quidẽ vulturnũ, à ſiniſtra eurũ.

Venti flãtes ab occaſu.

Ab occaſu flat zephirus ex diametro ſubſolano oppoſitus: hũc græcè zephirũ dictũ arbitrãtur, quaſi, vt loquũtur, viuificãtẽ, propterea ꝙ ea, quæ terra ex ſe fundit, illi⁹ flatu reuiuiſcere videãtur, Nã ζωὴ grecè, latinè eſt vita. Latini nõnulli appellarũt fauoniũ eo ꝙ faueat, vel foueat ea quę naſcũtur è terra. Hic vtrinq; vnum habet, ad dextrã quidẽ Africũ, ad ſiniſtram Circiũ. A meridie ſeu à

Venti flãtes à meridie.

polo antarctico flat Auster. Austrum autem dictum putant, quasi haurientem aquas, pluuias. n. inuehit. Alij græcè ob id νότον .i. nothũ dictum existimant, quoniam pestem gignat, ex prauo eius calore prauoque humore vim putrefaciendi habente. Hic vnum vtinque habet, à dextra quidem Euroaustrum, à sinistra austrum africũ. A septentrione denique seu à polo arctico flat septentrio, sic nominatus, quia flat ab vrsa maiore quæ græcè dicitur αρκτος, latinè septẽtrio, propter septem stellas, quę torquẽtur in orbẽ circũ polũ. Hic etiã vnũ vtrinque habet vẽtũ, ad dexterã quidẽ Aquilonẽ, quem alio nomine boream appellant ad sinistram chorum. His ita constitutis patet quomodo motionibus solis ad Austrum .i. ad Meridiem seu ad polum antarcticum, (vsurpat enim Galenus ventum à polo antarctico flantem, pro ipsomet antarctico polo) fiant tempestates: eodemque modo ad Boream, id est, ad Polũ arcticum (vsurpat etiam ventum flãtem à polo arctico pro ipsomet polo) Quamquam Galenus quoque videatur vsurpasse Boream seu aquilonẽ, pro septentrione. Septẽtrio.n.rectà flat ab arctico polo. Quænã tẽpestates fiunt motionib⁹ solis ad Boream, seu septentrionem seu ad polũ arcticum? ver. Quænã ad Austrum seu polum antarcticum? Autumnus. Æstas verò & hyems fiunt motionibus solis simul & ad arcticum & antarcticum polum. Nam solstitium æstiuũ est octauo calendas Iulij. Aliquot autem dies ante solstitium æstiuum est æstas, similiter dies aliquot post soltitium viget æstas, & ante solstitium sol mouetur ad arcticũ, post verò

Venti flãtes à septẽtrione

Tempestates singulæ, quibus solis motionibus fiãt

Solstitum æstiuum.

ſolſtitium monetur ad antarcticum polum. Æſtas ergo ſimul fiet motionibus ſolis & ad arcticum & ad antarcticum polum. Similiter, ſolſtitiũ hybernum eſt.8.calen.Ianuarij. Aliquot autem dies ante ſolſtitiũ, hyẽs viget, ſimiliter aliquot dies poſt ſolſtitium hybernum: ſed ante ſolſtitium hybernũ ſol mouetur ad polum antarcticum, poſt verò ad polum arcticum, hyems ergo fiet motionibus ſolis ſimul & ad arcticũ, & ad antarcticũ polum. At ver fit ſola motione ſolis ad arcticũ, Autũnus verò ſola motione ſolis ad antarcticũ polũ. Notãdũ verò hoc loco eſt, duo eſſe tempeſtatũ genera: quædam enim ſunt tempeſtates veræ & propriæ, aliæ impropriȩ. Tẽpeſtates veræ & propriæ ſunt ver, æſtas, autumnus, atque hyems, quȩ ſolis motionibus peragũtur, quas hoc loco intelligit Galenus. Impropriæ autẽ tẽpeſtates ſunt, vt tempeſtas pluuioſa, tempeſtas putrida & peſtilẽtialis, & ſimiles, quæ non ſolis motionibus, ſed aliorum errantiũ ſyderum, quæ vulgo planetȩ nominantur, & coniũctione, & oppoſitione, aſpectuq́ue, & motione perficiuntur.

Solſtitiũ hybernum.

Ver fit ſolo ſolis acceſſu & Autumnus ſolo receſſu.

Tempeſtates propriæ.

Tempeſtates impropriæ.

Καὶ μεταβάλλειν μὲν ἀνάγκη καὶ τοὺς χυμοὺς, ὥσπερ δὴ καὶ τὰ ϛοιχεῖα μεταβάλλειν πρὸς ἄλληλα.

Atque neceſſe eſt mutari humores, quemadmodum & elementa ipſa inter ſe mutantur.


Exta est similitudo inter elemẽta mundi & animantium humores, cuius tractatio est, quẽad modum elementa mundi inter se mutantur, ita iter se mutantur humores. Duob⁹ autem modis elementa inter se mutari, sequentibus verbis Galenus indicat, quippe cum duplicem elementorũ mutationem attingat, alterã ordine cõstantem, alteram ordine vacãtem, quas vulgò ordinatam & inordinatam dicunt, vt necesse quoq; sit, duobus modis humores inter se mutari. Mutatio autẽ elementorum ordine constans, est cum primum elementum mutatur in secundum, & secundũ in tertium, & tertium in quartum: aut quartum in tertium, & tertium in secundum, & secundum in primum: vt cum ex igne oritur aer, ex aere aqua, & ex aqua terra: Aut ex terra aqua, ex aqua aer, ex aere ignis. Mutatio verò elementorum ordine vacans, est cum primum elementum mutatur in tertium, & secundum in quartum: aut quartum in secundum, & tertium in primum: vt cũ ex igne oritur aqua, & ex aere terra: aut ex terra aer, & ex aqua ignis. Has duas elementorum mutationes explicauit Arist. in. 2. de ortu & interitu. Sed vt hũc locum planè illustremus, illud animaduersione est dignum, elementum duobus modis sumi posse: vno, pro toto elemento, altero pro aliqua elementi parte, vt pro parte seu portione terræ. Cum res ita habeat si sumatur elementum, pro toto elemento, vnum non potest generari ex altero, nec in alterum verti, alioqui funditus tolleretur huius vni-

Elemẽta duobus modis inter se mutantur.

Mutatio elementorum ordine cõstãs.

Mutatio elementorum ordine vacans.

C.4.

Elemẽtũ duobus modis sumitur.

Quomodo intelligendũ sit elemẽtũ gigni ex elemento.

uersitatis pulcherrimus ordo. Nã vniuersitas hæc ex quatuor elementis & cælo cõstat, vt in. 1. de cælo explicatum est ab aristotele. Sin autem sumatur elementum, pro parte elementi, vt particula quædam terræ, potest verti in quodlibet aliud elemẽtum, siue aquam, siue aerem, siue ignẽ, idque nullo interiecto medio, seu, vt dicũt, immediatè. Nã (inquit Aristo.) quoduis elementum cuilibet elemento contrariũ est, vel beneficio vnius, vel duarum qualitatum. Vt terra aquæ contraria est ratione siccitatis, frigoris verò communione cũ ea cõiuncta. Aeri autem terra contraria est ratione vtriusque qualitatis: est. n. ille calidus & humidus, hæc verò frigida & sicca. Quapropter cum terræ particula, aquę vicina sit, aqua quatenus humida, aget in terram interimendo siccitatem, & humorẽ introducendo. Si labefactat siccitatem, tollitur forma terræ. Siccitas enim cũ frigore est affectio quędam, quæ formã terræ in materia conseruat. Si autem introducit humorem, introducit quoq; aquę formã Quapropter ex parte terrę potest generari aqua, ratione actionis contrariæ. Eodemq; modo si terræ particulæ, aeri appropinquet, ab actione aeris contraria, vertetur in aera. Nam aer quatenus est calidus, interimet terræ frigus, qua vero ex parte humidus corrumpet eiusdem siccitatẽ. Quibus expulsis, veluti affectionibus quibusdã conseruantibus, euertetur forma terræ, cumque aer immittat qualitates accomodatas formæ aeris. s. calorem & humorem, sequitur eas aeris forma. Ergo ex terrę particula aliqua, potest generari aer, idque nullius medij interuentu. Idem dicas si terræ

Primæ qualitates sunt affectiones cõseruantes formas elementorum.

pars aliqua, approprinquet igni. Sed dices, ab extremo ad extremum nõ fit mutatio, nisi per mediũ, quemadmodum ex albo non fit mutatio in nigrũ nisi per medios colores, sed ignis & terra sunt duo extrema elementa, ex terra ergo non potest generari ignis, nisi pri⁹ generẽtur ex terra aqua & aer. Quare immediatè (vt dicũt) ex terra non generabitur ignis. Ad hoc breuiter dicendum putamus, illud Aristotelis pronunciatum, ab extremo ad extremum non fieri transitum nisi per mediũ, huic nostro instituto ita esse accomodandum, ex quouis elemento, immediatè generari quoduis elementum, dummodo ea sibi vicissim appropinquent. Nam manente igne in sphæra sua, & terra in centro, nunquam ex terra immediatè generabitur ignis. Aristoteles etiam in eodem secundo de ortu & interitu libro docuit, non solum quoduis elementum ex quouis elemẽto oriri posse, sed etiam in nonnullis id posse vsuuenire, vt ex duobus elementis tertium quid gignatur, vt ex aere & terra, ignis nascitur, aeris humore, & terræ frigore interemptis. Similiter ex igne & aqua, oriri potest terra, si ignis calor deleatur, & aquæ humor. Atque hæc breuiter de elementorum mutatione, ordine tum constante, tum vacante dicta sint. Quę an humoribus conueniant, postea inuestigabimus.

Quæstio, an ex terra immediatæ possit gigni ignis

οὐκ ἀεὶ δὲ τὸν αὐτὸν διατηρεῖν τρόπον τῆς μεταβολῆς, οὐδ' ἐπίσης αὔξειν αὐτοὺς. ἀλλ' ἐνίοις μὲν, ἀπὸ τοῦ γεώδους εἰς τὸν ὑδατώδη τάξει τινὶ, καὶ ἀπ' ἐκείνου εἰς τὸν ἀερώδη, ἀφ' οὗ εἰς τὸν πυρώδη γίνεται ἡ μεταβολή. ἐνίοις δὲ ἀτάκτως ἀπὸ τοῦ φλέγματος εἰς ξανθήν. καὶ ἀπὸ τοῦ αἵματος εἰς τὴν μέλαιναν.

Non autem necesse est eũdem semper mutationis ordinẽ seruare humores, neque æqualiter eosdem augescere. Sed in nonnullis quidem, à terreo in aqueum, ordine quodam, & ab aqueo in aereum, à quo in igneum fit mutatio. In nonnullis autem ordine non seruato, à pituita in bilem, & à sanguine in humorem nigrum.



HVmores eo modo, quo elemẽta, mutari posuit. Hîc duo de humoribus pronunciata proponit: alterum, cum humores inter se mutentur, non esse necesse, vt eundem semper mutationis ordinem seruent: Alterum, cũ humores in corpore animalis augescant, non esse necesse, vt ęquabiliter semper augeantur. Quorum hoc secundũ in progressu huius libri copiosè explicabit. Primũ itaque oratione persequens, indicat aliquãdo inter humores esse mutationem ordine constantẽ, quam exemplo illustrat: vt cum ab humore terreo fit mutatio in aqueum, & ab hoc in aereum, à

Mutatio humorum ordine constans.

quo in igneum. Interdum verò inter humores esse mutationem ordine vacantem, quam etiam exẽplo exponit, vt cum à pituita in bilem, & à sanguine in humorẽ nigrum fit mutatio. Sed quoniam de humorum inter se mutatione medicorum sententiæ plurimum fluctuant, idcirco hoc loco diligenter inuestigandum putaui, an duplex ea mutatio, vel etiam triplex, quæ cernitur in elementis, prima quæ ordine constat, vt cum ex igne gignitur aer, ex aere aqua, ex aqua terra: Contráque ex terra aqua, ex aqua aer, ex aere ignis. Altera quę ordine vacat, vt cum ex igne oritur aqua, & ex igne & ex aere oritur terra: & contra cum ex terra oritur aer, & ex terra, & ex aqua gignitur ignis. Tertia, vt cum ex duobus elementis tertium aliud gignitur, vt cum ex igne, deleto illius calore, & remanente siccitate, & ex aqua corrupta eius humiditate, & frigore remanente, gignitur terra: aut cum ex aere eius humiditate interempta, & calore constante: & ex terra, sublato frigore, & cõstante siccitate, gignitur ignis. Inuestigandum, inquam, diligẽter putaui, an hoc triplex mutationis genus in humoribus quoque reperiatur. Id quod scitu dignissimum existit. Ponamus itaque ac collocem⁹ ita quatuor humores, vt collatione respondeant quatuor elemẽtis. Sint ergo hoc modo dispositi. Bilis, sanguis, pituita, humor niger. Si igitur inter humores ea sit mutatio quæ ordinem habet, certè ex bile generabitur sanguis, & ex sanguine pituita, & ex pituita humor niger. Si etiam ea sit inter humores mutatio, quæ ordinem non habet, profectò ex bile generabitur pi

Mutatio humorum ordine carens.

Mutatio triplex in elemẽtis.

Humorum ordo.

tuita, ſimiliter ex bile generabitur humor niger, & ex ſanguiue humor niger, & contra ex humore nigro gignetur ſanguis, ſimiliter ex humore atro orietur bilis. Denique ſi inter humores ea ſit mutatio, qua ex duobus oritur aliquid tertiũ, ꝓfectò quemadmodũ ex aere & terra gignitur ignis, ita ex ſanguine & humore nigro generabitur bilis. Quæ an vera ſit omnia, ſigillatĩ, & ordine eo, quo ſunt ꝓpoſita ꝑſequẽtes, etiã atque etiã videamus, auſpicantes ab ea humorũ inter ſe mutatione, quę ordine conſtat. Quæ ſi inter humores ſit, ſanè oportebit ex bile ſanguinem & ex ſanguine pituitam, ex pituita humorẽ nigrum, & cõtra ex humore nigro pituitã, & ex pituita ſanguinẽ, & ex ſanguine bilẽ generari. Quãtũ ad primũ attinet, non videtur ex bile ſanguinẽ gigni poſſe. Tũ quia nullus vnquã medicus, cuius illuſtris ſit & peruagata fama, hoc (quod ſciam) aſſeruit. Tum quia ex bile ſanguinẽ gigni, videtur rationi repugnare. Nam per actionem caloris id quod ſiccum eſt, nõ poteſt humidum fieri, bilis autem ſicca eſt, ſanguis humidus, & omnes qui in corpore animalis gignuntur humores, actione caloris ſiue innati, ſiue febrilis & pręter naturam gignuntur: ex bile ergo non generabitur ſanguis. Sed mihi tribus modis occurrere poteris. Primo actione quidem caloris febrilis & præter naturam ex bile non poſſe fieri ſanguinem, at nihil prohibere quominus actione caloris innati, cum calor innatus (vt teſtatur Galenus in cõmen. in apho. 14. primi libri, non qualitatem ſolam, hoc eſt calorem ſeu caliditatem ſignificat, ſed ſubſtantiam aeream & aqueã & be-

Inueſtigatur hic an mutatio ordine cõſtans reperiatur in humoribus.

Ex bile non generatur ſanguis.

Primæ obiectionis ſolutio.

nè temperatum. Præterea Galenus in fine libri de corde, ſanguinis generandi cauſam eſſe animalium calorem temperatum, eumdemque modicè humidum, tradit: videbitur igitur ſanguis beneficio caloris innati ex bile gigni poſſe. Dicimus calorem innatum non eſſe humidum tantum, vt poſsit eatenus humectare bilem, quatenus requiritur in ſanguinis conſtitutione. Sed demus ęquè humectare poſſe, non continuo ſequitur eſſe ſanguinem. Non enim omne quod æquè, atque ſanguis, humidum eſt, continuo eſt ſanguis. Siquidem vt aliquid ſit ſanguis, ſanguinis formam, non autem ſolas qualitates obtineat, neceſſe eſt. Quamquam ergo concedam calorem innatum tantum humiditatis introducere poſſe in bilem, quantum in ſanguine debet ineſſe, attamen quia in bilem non poteſt introducere formam ſanguinis, cum bilis non ſit materia apta ad recipiendã eam, ſanguis profectò non generabitur ex bile. Secundo modo mihi te poteris opponere hac ſimilitudine. Si ex ſanguine fieri poteſt pituita vt explicabitur, cur ex bile non orietur ſanguis. *Secundæ obiectionis ſolutio.* Reſponderi poteſt materiam ſanguinis talem eſſe, quæ poſsit accipere non ſolum qualitates pituitæ, ſed eius quoque formam, at bilem non eſſe materiam idoneam, quæ ſanguinis forma poſsit inſigniri. Poteſt etiam reſponderi fuiſſe neceſſarium, vt lege naturæ atque præſcripto, ad infantes alendos, ex ſanguine gigneretur certum quoddam pituitæ genus, vt in progreſſu demonſtrabo, non fuiſſe autem neceſſarium, ex bile ſanguinem gigni. Tertio denique modo inſurge-

re poteris, hac similitudine munitus. Quẽadmodum ex igne gignitur aer, cum aeris humiditas delet ignis siccitatem, ita ex bile generabitur sanguis, si sanguinis humiditas superet siccitatem bilis. In defensione dico, esse dissimilitudinem non similitudinem. Nam in elemẽtis qualitates summas esse demonstrauimus. Proinde calor qui est in igne, quadam ex parte ignem aptum reddit, ad recipiendum formam aeris. Cum verò humiditas aeris propulsauerit siccitatem ignis, iam omni ex parte materia quæ formæ ignis subiecta erat, affecta est ad induendam formam aeris, simulq́ue induit cum summus calor, summáque humiditas in materia insunt. At in humoribus non insunt summæ qualitates. Et quamquam bilis sit calida, itemque calidus sanguis, attamen bilis est calidior calore quodam acri & mordaci, quam sit sanguis: est enim temperatus sanguinis calor. Quapropter, non, quemadmodũ calor in igne existens, disponit materiam suam ad induendam formam aeris, cum remanẽte eodem omnino ignis calore: & introducta sola aeris humiditate, gignatur aer, ita calor bilis disponit materiam suam ad sanguinis formam recipiendam. Nam si bilis & sanguis sibi vicissim appropinquent, séque tangant mutuò, & humiditas sanguinis propulset siccitatem bilis, illius calore remanẽte, certè si gigneretur sanguis, calor sanguinis ex bile geniti, esset acer & mordax. Et si dixeris, humiditatem sanguinis, obtundere acrimoniam illam & mordacitatem bilis, attamen non obtundet calorem ipsum: cum humiditate enim coniunctus esse potest maxim⁹ calor, vt in a-

qua ebulliente apparet. Et si hoc absurdũ esse nõ putes, sed tibi satis esse ex bile gigni sanguinem, siue maximo, siue mordaci calore sit præditus, dissolutionem hanc audias. De qualitatibus humorũ & qualitatibus elementorum aliter & aliter esse iudicandum. Nam si in materiam aliquam summus calor, summaque siccitas introducatur, continuò in eam introducitur ignis forma: eodemque modo si in materiam aliquam immittatur summus calor summaque humiditas, extemplò ea materia induit formam aeris. Idem de reliquis. Nam summę qualitates hoc priuilegium videntur à natura habuisse, vt cum ambæ introducuntur in aliquã materiam, introducatur quoque forma illius elementi, cuius sunt qualitates. At qualitates ipsorum humorum, quæ remissæ sunt, hoc non obtinuerunt. Nam quamquam sanguis humiditatem suã in bilem inducat, (vtrumque. n. calidum est) non tamẽ continuò bilis est effecta sanguis, etiam si sit calida, humidaque effecta, Non enim omne calidum & humidum remissum, est sanguis, sed id tum demũ, quòd sanguinis formam accipit, nihil autem accipit formam sanguinis ab humiditate sanguinis, sed à calore innato: calore autem innato nihil quod maximè est siccum, humidum æquè atque sanguis est, potest effici. Ex bile ergo non generabitur sanguis. Et si præter has rationes, authoritatem aliquam Galeni habere desyderas, ipsum in latinum conuersum in. 2. de victus ratione in morbis acutis ita loquẽtẽ audias. Bilis humor in ipsis inediis amarior redditur. Pituita vero tẽporis processu coquitur & sanguis efficitur,

Nõ est idem iudicium de elementis & de humoribus.

vbi sunt duæ summæ qualitates, ibi est forma alicuius elementi.

Com. 39.

Ex ſanguine gignitur pituita.

neutra bile in ſanguinis ſubſtantiam redire valente. Nunc videamus an ex ſanguine gigni poſsit pituita. Atque hoc quidē videtur fieri poſſe. Nã Galenus in Cõmen. in. 39. aphoriſmum libri quinti, ſic ſcripſit. Sũt quidam in mammis adenes, vim habentes id quod ad eos influat alterandi. Cum ergo ij ſint exangues & alibi, proprium efficiunt humorem talem, quale eſt lac, quando plus alimẽti defertur ad ipſos. Et Aphoriſmo ſequenti inquit, ſanguinem ad mammas ferri, deinde ab adenibus, qui ibi ſunt, in lac tranſmutari. Adenum autem natura, & illorum preſertim qui in mammis ſunt, exãguis eſt, & liquet quòd frigida. Omne.n. exangue, frigidum: & eius quidem ſanguinis, qui defertur ad ipſos, alterationẽ facit ad frigidius declinentẽ. Quantò enim adenes ij, ſunt hepatis carne frigidiores, tantò lac ſanguine. Ex quibus intelligi poteſt, lac optimum, non eſſe temperatum in animali etiam temperato. Nam in adenibus ſeu glandulis mammarum natura exanguibus, ob id frigidioribus, veluti recrudatur ſanguis, fitque lac, medium inter ſanguinẽ, ex quo procreatũ eſt, & pituitam: ſanguini tamen, quam pituitæ propinquius. Nec tibi videatur abſurdum ſanguinem iam coctum recrudari, à glandulis mammarum. Nam pharmacopęi hoc modo dicunt ſaccharum recrudari. Cum enim res humidas ſaccharo condire volunt, vt pyra, poma, & ſimilia, ſaccharum multo magis coquunt, quam cum volunt condire res minus humidas. Inquiũt enim ſaccharum nimium & plus quam par ſit, illa humiditate recrudari, niſi bene fuerit concoctum. Quorſum

Lac nullum temperamentum.

Quod coctũ eſt poteſt aliquando retrudari.

hæc de lacte? Nimirũ cũ ex ſanguine gignatur lac, & lac ad pituitam declinet, illud concluſum ſit, ex ſanguine pituitam generari poſſe. Et quamquam ita naturæ lege, ex ſanguine exacta pituita non fiat, attamen ſi glandulæ illæ mammarum frigore magno preter naturam afficiantur, ſanguinem ad exquiſitam pituitam perducere poſſe videbuntur. Iam conſyderemus an ex pituita oriri poſſit niger humor. Atque oriri quidem poſſe videtur. Nam cum pituita ſit frigida & humida, fieri poterit, vt tanta in corpore animalis ſiccitas preter naturã excitetur, vt omnem illius humiditatem abſumat, & ſiccam reddat, non quidem permanens pituita, ſed in alium humorem conuerſa, nimirum in humorem frigidum & ſiccum: at talis, eſt humor niger naturalis. Si verò pituitæ frigus deleat calor, & eiuſdem humiditatem deleat ſiccitas ita tamen vt color niger adſit, generabitur bilis nigra preter naturam, quæ eſt calida & ſicca, vt bilis flaua. Quid verò inter bilem flauam & bilem atram interſit, cum vtraque ſit calida & ſicca, ſuo loco docebo. Ex pituita ergo generatur ſuccus niger naturalis, & bilis nigra preter naturam Fuit tamen doctiſsimus quidam ac præſtantiſsimus medicus, qui exiſtimauit ex pituita tantam aſſationem fieri non poſſe, vt nigra euaderet. Quoniam autem ſenſu percipitur pituitã per aſſationem ad nigorem certo quodam modo declinare, Alius non mediocris cognitionis medicus, vt illũ defenderet, hanc diſtinctionẽ excogitauit, bilẽ nigram ex pituita oriri, duobus modis poſſe intelligi, altero ſecundum ſubſtantiam, vt ex pituita gi-

Ex ſanguine generatur lac

Ex pituita generatur humor niger.

Ex pituita generatur bilis nigra.

Opiniones aliorum.

gnatur humor ater frigidus & ſiccus, vel calid⁹ & ſiccus: Altero ſecundum colorẽ, vt ex pituita per aſſationem gignatur ſuccus niger ſecundum colorẽ, id eſt, in pituitam ſolum introducatur color niger, remanentibus frigore & humiditate pituitæ. Cum itaque ille negabat ex pituita fieri humorem nigrum, ſecundum ſubſtantiam intelligebat, cum ſenſui appareat, ex pituita humorem gigni nigrũ ratione coloris. Verum cũ febris quotidiana à pituita, & quartana ab humore nigro originem habeat, & qui ex medicinæ præceptis agunt, qui practici nominãtur, vno conſenſu omnes fateantur ex quotidiana tranſitum fieri in quartanã, quæ vt dictum eſt, fit ab humore nigro ſecundum ſubſtãtiam, non ab humore nigro ſecundum colorem: color enim ad febrium generationem nihil facit, efficitur ꝓfectò vt ex pituita gignatur humor niger, non ſolum ſecundũ colorem, ſed etiam ſecũdum ſubſtantiam. Hacten⁹ quanta fieri potuit breuitate inueſtigauimus, an ex bile oriatur ſanguis, & ex ſanguine pituita, & ex pituita humor niger. Sequitur deinceps, vt veluti ſurſum aſcendendo inquiramus, an ex humore nigro gignatur pituita, ex pituita ſanguis, ex ſanguine bilis. Ex humore itaq; nigro, non videtur pituitã poſſe gigni, quandoquidem cum frigidus ſit & ſiccus, ideóque friabilis, & omnis ferè adglutinationis expers, & quaſi cinis, pituita autẽ caſsi tiei aliquid & lentoris habeat, & ex humore nigro gignẽda ſit pituita actione caloris, & calor id quod eſt friabile, non faciat lentum & glutinoſum, ſed magis friabile, relinquitur profectò vt ex humore nigro pituita gigni nõ

Ex tranſitu quotidianæ ĩ quartanam, colligitur verum humorẽ nigrum ex pituita gigni.

Ex humore nigro non generatur pituita.

possit. Si verò dixeris ex humore nigro non gigni pituitam actione caloris, sed actione qualitatis pituitæ, nimirum humiditatis, quemadmodum ex terra gignitur aqua tum, cum humiditas aquę propulsauerit siccitatem terrę, tibi ad hoc respondeo, non esse eandem rationē qualitatum elementorū & qualitatum humorum. Nam qualitates elementorum cum summæ sint, profectò ambæ cum introducuntur in aliquam materiam, introducitur quoque forma illius elementi, vt cum introducitur in aliquam materiam summū frigus & summa humiditas, continuò aquæ forma introducta est, aquaque genita. Itemque cum summum frigus, summaque siccitas materiam aliquam occupant, eiusdem materiæ, terræ forma efficitur domina. Idemque in cæteris. Qualitates verò humorum non sunt summę, nec sunt tales vt cum introductę fuerint in aliquam materiam, cōtinuò illius humoris forma sit introducta. Quamquam ergo pituita & humor niger ambo sint frigida, etiam si tibi concedam pituitæ humiditatem, quæ remissa est, propulsare posse humoris nigri siccitatem, & se insinuare in eam ipsam materiam, quam antea siccitas occupabat, & efficiatur quid humidū & frigidū, attamē nō dicitur pituita illud, ꝑpterea quod non omne frigidū & humidū est pituita, sed denique id omne quod pituitæ formam essentialē habet, at humiditas pituitæ non potest introducere formam pituitæ, sed eam introducit calor infirmus ac debilis. Ex humore ergo nigro non generabitur pituita. Si vero obieceris, cur Galenus in textu inquit, ἀπὸ τῶ γεώδεος ἐις τὸν ὑδατώδη id est ter- *Obiectionis solutio.*

reo in aqueum, quaſi dicat ex nigro humore in pituitam fieri mutationem. Reſpondeo ex veterũ id ſententia dictum eſſe. Nonnulli enim voluerunt in humoribus reciprocam eſſe omnino mutationem. Nunc breuiter doceamus ex pituita ſanguinem oriri. Nam quod frigidum humidumque eſt, calidum fieri poteſt, eodem humido remanente, vt in aqua ebulliente vſuuenit. Calor ergo innatus non ſolum in pituitam calorem introudcit, ſed etiam ſanguinis formam. Calor enim qui in animalis corpore ineſt, eſt veluti dator formarum ipſorum humorum, quemadmodum illa Auicennæ intelligentia, erat datrix formarum rerum omnium natura conſtantium. C.8.
Illud verum eſſe Galenus in ſecundo de facultatibus naturalibus confirmat, cum inquit, ſanguis fit à moderato calore, bilis ab immodico. Alibi verò ab imbecillo calore pituitam gigni affirmat. In ſecundo autem de criſibus libro inquit, in naturalibus ſermonibus oſtenſum eſt, ſanguinem gigni ex moderato calore, flauam bilem ex maiore, atrã vero ex ſufficienter immodico. Ex quibus poteſt intelligi humores à calore formam ſuam obtinere. Quod verò ex pituita gignatur ſanguis, Galenus in ſecundo de facultatibus naturalibus preclarè teſtatur, vbi inquit ob id naturam nullum pituitæ, vt expurgetur, inſtrumentum fabricaſſe, quoniam non indiget vacuatione, ſed in corpore manens alteratione. Et in ſecundo de victus ratione in morbis acutis ſic ſcripſit. Pituitoſi facilius cibi vſum, qui ſemel die fit, ferunt, quàm bilioſi. Nam bilis humor in ipſis in-

Ex pituita oritur ſãguis

C.12

Cap. 14.

Com. 30.

ediis amarior redditur. Pituita verò temporis processu coquitur, sanguisque efficitur, neutra bile in sanguinis substantiam redire valente, & paulo post, Pituitæ generatio in pituitosis eduliis, sanguinem perpetuò antecedit, atque generatione ipsius media, cibi in sanguinem transeunt. Hęc ille. Cuius penè innumerabiles authoritates, quibus hoc idem possem confirmare, studio breuitatis, silentio pretermitto. Sed iis omissis locus hic postulat, vt ex sanguine bilem oriri ostendamus. Omne enim mixtum corpus, quod calidum sit & humidum, qualis est sanguis, actione caloris calidũ siccũq; qualis est, bilis, effici potest. *Ex sanguine oritur bilis*

C. 9. Ex sanguine ergo generabitur bilis. Galenus in secundo de differentiis febrium sic scripsit. Pars sanguinis subtilior ac pinguior omnino in flauam conuertitur bilem, quæ autem crassior in atram. Idem in secundo de crisibus inquit, Quicquid pingue & tenue in sanguine est, fit flaua bilis: crassum verò ac veluti fex, quando immodicè calefactũ exaruerit, atra. Hactenus absoluimus eam inuestigationem qua quærabamus, an ea mutatio quæ ordine constat, reperiatur in humoribus, quemadmodũ reperitur in elementis. Tēpus est vt inquiram⁹, an ea mutatio quęordine vacat, in humoribus esse posit. Collocatis itaq; hoc modo humorib⁹, bilis, sanguis, pituita, humor ater, videam⁹ primũ, an ex bile posit gigni pituita, eodēque modo an ex bile posit oriri humor niger, item an idem ex sanguine. Deinde sursum veluti ascendendo, an ex humore atro sanguis, itē ex humore atro bilis, postremò an ex pituita bilis gigna

Ca. 12.

Inuestigatur hic, an mutatio ordine vacans inter humores sit.

Ex bile pituita non oritur.

tur. Quantum ad primũ attinet, ex bile pituitam nullo modo videtur posse oriri. Quod enim calidum siccumq; est, actione caloris nullo modo videtur fieri posse frigidum & humidum. Præterea Galenus negat in.2.de victus ratione in morbis acutis, ex bile fieri sanguinem, multò igitur minus pituitã. Bilis enim & sanguis communione vnius qualitatis iunguntur, non autem bilis & pituita.

Obiectionis solutio.

At dices fortassis, si magna aliqua pituitæ copia, exiguæ bilis portioni alicui circunfundatur, pituita suo frigore poterit bilis calorem, & siccitatem hu miditate propulsare, cum bilis sit corpus mixtum ex omnibus elementis, & proinde minimũ quid frigoris, ac minimum quid humiditatis obtinere intelligatur. Quamquam hoc tibi concedam, atta men non est munus frigoris & humiditatis pituitę, introducere formam pituitę, sed caloris innati, non. n. omne quod frigidum humidumq; existit, continuò pituita dicendum est. Ex bile igitur non generabitur pituita. Verum ex bile poterit oriri humor niger, Qui cũ duplex sit naturalis, qui est frigidus & siccus, & pręter naturã, qui est calidus & siccus, hic, non ille ex bile generatur. Quod autem bilis atra, gignatur ex bile flaua hinc potest intelligi, quia quod flauũ est, per assationem fieri potest nigrum, nihil verò per assationem fieri potest frigidum. Ex bile ergo flaua calida, & sicca, generabitur bilis atra calida & sicca. In qua sententia Galenum comperi in secundo de crisibus inquiens. Tlaita etiam bilis, quandoque in atram conuertitur, cum assata fuerit. Et in tertio pronosti, atræ bilis generationem duplicem facit alteram à

Cõ. 30.

Ex bile flaua oritur bilis nigra.

C.12

ſanguine craſsiore, qui proportione in venis, ſubſidenti in dolio vini fæci reſpondet, alteram à flaua bile vehementer aſſata, quæ atra bilis alioqui malefica eſt, ac derodit partes, in quibus abundè eſt collecta. Alias penè infinitas authoritates ad hoc idem confirmandum idoneas, ſtudio breuitatis, ſilentio inuoluo. Quod autem ex bile flaua nō poſsit oriri humor niger, qui eſt frigidus & ſiccus hinc poteſt ſciri, quia quod eſt calidum & ſiccū, per aduſtionem non fit frigidum & ſiccum. Si verò dixeris ex flaua bile per aſſationem, nigrā, quæ eſt calida & ſicca, gigni, ſed à poſtea extincto calore eius partis, in qua eſt talis nigra bilis, ipſammet nigram bilem calidam & ſiccam, refrigerari, atque ita tādem frigidam ac ſiccam euadere, tibi ad hoc reſpondeo, non ob id refrigerari, ſed calorem in ea ſopitum incluſum manere, quemadmodum in fæce vini aduſta. Si iterum dixeris tantam humoris nigri naturalis copiam, circunfundi poſſe bili flauæ, vt illius frigus, huius calorem ſuperet, & ob id frigidam & ſiccam fieri, ideóque ſuccum nigrū naturalem: tibi reſponſum eſſe poteſt ex ſuperioribus, cum doceremus qualitates ipſorum humorum, eorum formas non introducere tum, cum ipſæ introducuntur, non enim omne frigidum & ſiccum, eſt humor ater naturalis. Nunc ex ſanguine humorem nigrum oriri confirmemus. Cumque duplex ſit, alter naturalis, qui eſt frigidus & ſiccus, quíque humor niger propriè nominatur, alter pręter naturam, qui eſt calidus & ſiccus, quique atra bilis vocatur, vtrumque ex ſanguine oriri poſſe oſtendamus. Galenus namque in ſecundo

Ex bile flaua non oritur humor niger.

Obiectionis ſolutio.

Alterius obiectionis ſolutio.

Ex ſanguine oritur humor niger.

C.9.

de facultatibusnaturalibus vini exẽplo docet ortũ quatuor humorũ, quem locũ tu ipſe videas totũ: ego enim nunc ex eo ſolum ſumam, quod ad inſtitutum meum attinebit. Inquit itaque in ſangui ne eſſe partem quandam craſsiorem, quæ pedetentim coaceruatur & ſubſidet, quemadmodum ſedimentum ſeu fæx paulatim colligitur, & ſubſidet vino. Vix autem, aut ne vix quidem ſanguis reperitur, in qua non ſit aliqua portio craſſa, quæ fæci in vino exiſtenti, ꝑportione non reſpõdeat, quæ poterit aliquo modo coaceruari, & ſeparari à legitimo ſanguine, ex ſanguine ergo poterit generari humor ater, generationem hoc loco latè accipientes. Et talis eſt naturalis, ac frigidus & ſiccus. Poterit etiam ex ſanguine oriri bilis atra, ſeu melancholia, quę eſt pręter naturam, & calida ac ſicca. Nam fieri poteſt, vt maximus in animantis corpore calor excitetur, qui ſanguinem ipſum legitimum cõburat, & conſumendo partes tenuiores, craſsiores, eaſque cauſticas, relinquat. Hæc duo, in vno & eodem loco, nimirum in ſecundo de victus ratione in morbis acutis, ſic confirmauit Galenus. Pituita temporis proceſſu coquitur, ſanguiſque efficitur, neutra bile in ſanguinis ſubſtantiam redire valente. Cum ex ſanguine quidem plus calfacto, flaua bilis generetur, ex eodem vero aſſato, aduſtoque, atque etiam ex craſſo, atra. Nunc ſurſum veluti aſcendendo, an ex humore nigro ſanguis, itemque an ex humore nigro bilis flaua, poſtremo an ex pituita flaua bilis poſsit gigni, videamus. Ac primum ex humore nigro naturali, frigido & ſicco, non videtur fieri poſſe ſanguinẽ, prop

Ex ſanguine oritur bilis nigra.

terea quod actione caloris, quod siccũ est, nõ potest fieri humidum, sanguis verò humidus est. Et si dixeris quamquam ratione caloris ex humore nigro non oriatur sanguis, tamen ratione qualitatũ sanguinis poterit fieri. Nam si sanguis circunfundatur humori nigro, ita vt sanguinis calor & humiditas, deleãt humoris nigri frigus & siccitatem, occupentq́ue eam materiã, quã antea possidebant frigus & siccitas, videbitur sanguis. Ad hoc respõsum est superius, qualitates humorum non introducere formam eorundẽ. Sed id esse caloris officium. Multo etiam minus ex bile nigra, seu melancholia quę est calida & sicca, poterit oriri sanguis. Ad quod docendum, tibi assumenda erunt ea omnia, quibus ex bile flaua sanguinẽ nullo modo gigni posse conclusimus. Quod si ratione nõ sis cõtentus, sed authoritatẽ aliquã desyderas, vide Galenum in secundo de victus ratione in morbis acutis, qui idem iis verbis confirmat, Pituita temporis progressũ coquitur, sanguisq́ue efficitur, neutra bile in sanguinis substantiam redire valente. Illud hoc loco animauertendum est, ex humore nigro, oriri bilem nigram. Inquit enim Galenus in secundo de crisibus. Quicquid pingue & tenue in sanguine est, fit flaua bilis, crassum verò ac veluti fęx, quando immodicè calefactum exarruit, nigra. In secundo etiam de facultatibus naturalibus inquit. Id nigri succi, quod nondum illam velut ebullitionem fermentationemq́ue terræ efficit, est naturale. Quod autem in talem mutatum est vim ac speciem, id iam pręter naturam est, ceu quod ex vstione non

Ex humore nigro non fit sanguis.

Obiectionis solutio.

Ex bile nigra non fit sanguis

Com. 30.

Ex humore nigro fit bilis nigra.

C.12

Ca.9

naturalis caloris,acrimoniam adſciuerit,ac veluti cinis quidam ſit redditum. Deinceps conſyderemus an ex humore nigro poſsit bilis flaua oriri.

Ex humore nigro non oritur bilis flaua

Quod fieri non poſſe videtur. Nam quamquam ex humore nigro frigido & ſicco, poſsit generari aliquid calidum & ſiccum, illud tamen continuò nō erit bilis flaua, ſed bilis nigra. Ex eo enim quod nigrum eſt, actione caloris in animali exiſtentis, non videtur fieri poſſe flauum. Poſtremo loco videamus an ex pituita poſsit gigni bilis, ita tamen vt in ſanguinem prius non mutetur.

Ex pituita gignitur bilis flaua immediatè.

Non enim dubium eſt ex pituita in ſanguinem mutata, bilem flauam oriri. Atque videtur fieri poſſe ex pituita in ſanguinem non mutata, generari bilē. Nā talis in animalis corpore poteſt excitari calor vt acer & mordax, & omnino pręter naturam, qui ad ſanguinem procreandum non erit idoneus, quique poterit pituitam ſpoliare & humiditate & frigore, & in eam ipſam materiam, quæ occupabatur à frigore & humiditate, calorem ac ſiccitatem inducere, atque etiam colorem flauum. Quod enim album eſt, actione caloris flauum euadere poteſt. Si ergo ex pituita poteſt gigni aliquid quod ſiccum ſit & calidum atque flauum, & talis ſit bilis flaua, profectò videbitur fieri poſſe, vt ex pituita gignatur bilis flaua. Quod etiam confirmat Galenus in hoc contextu quē explicamus inquiens, ἀπὸ τοῦ φλέγματος εἰς ξανθήν. i. mutatio quidem fit à pituita in bilem. Ad hunc vſque locum inueſtigauimus, an ea mutatio quæ ordine vacat, in humoribus reperiatur. Sequitur deinceps, vt an ex duobus humoribus, tertius poſsit oriri, quemadmodum ex duo-

bus elementis tertium poteſt generari, dicendum eſſe videatur, ſumpto initio ab elementis. Elementa autem, aut in vna qualitate conueniunt & in altera diſcrepant, aut in vtraque diſcrepant. Si vnius qualitatis communione iungãtur, ex duobus elementis non poteſt gigni tertium elementum, niſi per actionem alicuius tertij, quod ſit ſpecie ab vtraque diſtinctũ, vt ſumatur portio vna terræ, & portio vna aquæ, quę duę portiones maximo igni appropinquent, ille ignis terræ frigus, & aquæ tum frigus tum humiditatem propulſabit, calorem inducendo, & relinquendo terræ ſiccitatem. Quod enim ſiccum eſt, in id quod ſiccum eſt non agit. Ex terra ergo & aqua generabitur ignis. Ex duobus ergo elementis in vna qualitate conuenientibus, actione alicuius tertij, tertium elementum poteſt oriri. Sin verò duo elementa vtraque qualitate contrariã ſint, ipſa abſque tertio vllo ſatis virium habebunt, ad tertium elementum gignẽdum. Nam ex aere & terra poteſt oriri ignis, ſi calor aeris propellat frigus terræ, & terræ ſiccitas vincat humiditatem aeris. Relinquetur enim elemẽtum calidum & ſiccum, quod eſt ignis. Eodem modo reliqua elemẽta percurras. Quæ ſi ad humores accomodare volumus, dicemus humores ipſos, aut vtraque qualitate diſcrepare, aut vnius ſocietate copulari. Si vtraque qualitate diſcrepent, vt bilis & pituita, item ſanguis & humor niger, ſi ex illis duobus debeat oriri tertius humor, hoc fiet, aut quia ipſi duo humores ita agent inter ſe, vt tertius oriatur, aut certe tertius orietur actione alicuius tertij. Non ipſimet humores duo, planè contrarij

Ex duobus elementis in vna qualitate conuenientibus, actione alicuius tertij, tertiũ fit elementum.

Ex duobus elemẽtis vtraque qualitate diſcrepantibus fieri poteſt tertiũ elementũ, abſq; tertio vllo.

Ex duobus humoribus vtraque qualitate discrepantibus non fit tertius humor, actione ipsarummet qualitatum.

possunt gignere tertiũ, quia, sint bilis & pituita, & bilis calor vincat frigus pituitę, cuius humiditas superet siccitatẽ bilis, fiet quidẽ aliquid tertiũ ꝙ erit calidũ & humidũ, at nõ cõtinuò erit sanguis: non enim omne calidũ & humidũ est sanguis, sed id ꝙ sanguinis formã possidet, quã qualitates humorũ nõ possunt inducere Non enĩ queadmodũ sũmæ qualitates possũt inducere elemẽtorũ formas, ita qualitates humorũ, eorũdẽ formas possũt inducere. Neq; ex duobus humoribus terti⁹ potest nasci actione alicuius tertij. Nã hoc tertiũ aut erit terti⁹ humor, aut calor. Nõ potest esse terti⁹ humor: negatũ est. n. vĩ formarũ humoũ introducẽdarũ esse in humorib⁹. De calore verò dubitatio est. Sed breuiter dicamus actione caloris in animalis corpore existẽtis, ex aliquibus duob⁹ humorib⁹ tertiũ certũ, nõ quẽuis humorẽ, posse oriri, ex aliquibus verò duob⁹ nõ posse. Nã ex sanguine & pituita potest gigni bilis. Cum. n. ex vtroque separatim, eadem oriãtur actione caloris, coniunctim quoque idem euenire poterit. Oportebit tamen mente cõcipere, calorem qui aget in pituitam maiorem esse oportere, quam qui in sanguinẽ: propterea quòd si par æqualisque esset, sanguis antè adustus esset, quam pituita in bilem esset conuersa. Ex sanguine verò simul & humore nigro non generabitur bilis, siquidem ex humore nigro bilem flauam gigni non posse, demonstrauimus. Eadem ratione bilis ex pituita & humore nigro nullo modo nascitur. Similiter ex bile & pituita & humore nigro non orietur sanguis. Demonstratum enim superius est, quamquam ex pituita sanguis fieri possit, ex

Ex duobus humoribus actione tertij humoris, non fit tertius humor.

Ex sanguine & pituita, fit bilis flaua.

Ex sanguine & humore nigro non fit bilis flaua.

Ex pituita & humore nigro non fit bilis flaua.

Ex bile & pituita, itẽ ex pituita & humore nigro nõ fit pituita.

bile tamen, vel humore nigro, eum nullo modo fieri posse. Eodemque modo nec ex bile & sanguine, nec ex bile & humore nigro, nec ex sanguine & humore nigro nascetur pituita, etsi ex sanguine solo nasci tradiderimus. Verum ex bile flaua, & sanguine actione caloris, poterit fieri bilis nigra, quippe cum ex vtroque separatim bilem nigram gigni, superius conclusum sit. Vbi aut nulla, aut certè non tāta caloris inęqualitas, vt ex iis duobus vnus fiat, mēte & cogitatione concipiēda est, quantam concipi oportere dicebamus, cum ex sanguine & pituita bilem flauam oriri ostendebamus. Similiter ex bile flaua & pituita: Itemque ex sanguine & pituita, nigra procreabitur bilis, cum ex iisdem, separatim oriri posse demonstratum sit. Nec solum ex duobus, verumetiam ex tribus, bile nimirum, sanguine, pituitaque, niger humor nascetur, ob eam quam attuli causam. Quemadmodum ex tribus elementis, aliud oriri posse inuenies, si id inuestigare volueris, hisce adiutus, quæ explicauimus superius. Hactenus inuestigauimus sigillatim an in humoribus reperiatur ea mutatio quæ ordine constat, & quæ ordine caret. Et cum ea quæ ordinem habet, non reperiatur, si enim reperiretur oporteret ex bile sanguinem, ex sanguine pituitam, ex pituita humorem nigrum, Contraque ex humore nigro pituitam, ex pituita sanguinem, ex sanguine bilem oriri, vt ex igne aer, ex aere aquam, ex aqua terram, & contra ex terra aquam, ex aqua aera, ex aere ignē. At ex bile sanguinem non fieri, similiter ex humore nigro pituitam non oriri ostensum est. Cum

Ex bile & sanguine: Ex bile & humore nigro: Ex sanguine & humore nigro non fit pituita.

Ex bile & sanguine fit bilis nigra.

Ex bile & pituita: Ex sanguine & pituita fit nigra bilis.

Ex aliquibus tribus humoribus aliis fit humor.

Mutatio ordine constans non reperitur ī humoribus.

inquam, ordine constans mutatio nõ cernatur in humoribus, cur Galenus humores inter se mutari tradit, quemadmodum elementa tali mutatione in se vicissim vertuntur? An dicendum sit mutationem ordine cõstantem duplicẽ esse, alteram omnino, & alteram quadam ex parte. Mutatio ordine constans omnino, est quæ ab extremo ad extremum sursum deorsumq; versus ordine quodam progreditur: quę sanè in elementis, non autem in humoribus reperitur. Mutatio verò ordine constans quadam ex parte est quæ alterutro extremo ꝑtermisso, in reliquis ordine quodã locũ habet. Vt quãquã ex bile non fiat sanguis, attamẽ ex sanguine pituitam, ex pituita humorem nigrum fieri demonstratum est. Eodemque modo & si ex humore nigro non fiat pituita, nihilominus ex pituita fit sanguis, ex sanguine bilis. Cum ergo Gale. dicit in humoribus esse mutationem ordine constã tem, non intelligit eam quæ ordine constat omnino, sed eam quæ ordine constat quadam ex parte. Similiter si mutatio quę ordine vacat, reperiretur in humoribus, profectò ex bile fieret pituita, ex bile, humor niger, ex sanguine humor niger: contraque ex humore nigro sanguis, ex humore nigro bilis, ex pituita bilis, quemadmodum ex igne aqua, ex igne terra, ex aere terra, & contra ex terra aer, ex terra ignis, & ex aqua ignis. At ex bile nõ fit pituita, ex humore nigro non fit sanguis. Cum itaque hæc ordine vacans mutatio non spectetur in humoribus, cur Galenus eam reperiri contendit? An etiam dicendum sit, duplicem esse mutationem ordine carentem, alteram omnino, & al-

Mutatio ordine constans omnino.

Mutatio ordine constans quadam ex parte.

Mutatio ordine constans quadam ex parte est in humorib.

Mutatio ordine vacans non reperitur ĩ humoribus.

teram quadã ex parte. Mutatio ordine carens omnino, eſt quæ fit à primo tum in tertium, tum in quartum, & à ſecundo in quartum: contraque à quarto tum in ſecundum, tum in primum, & à tertio in primum. Primum ſit bilis, ſecundum ſanguis, tertium pituita, quartum humor niger. Vel ignis, aer, aqua, & terra. Et talis mutatio ordine carens omnino, non reperitur in humoribus. Mutatio autem ordine carens quadam ex parte, eſt quæ fit à primo in quartum & à ſecundo in eundem, & à tertio in primum. Quæ ſanè in humoribus cernitur, ob eamque cauſam Galenus inquit à pituita in bilem, & à ſanguine in humorem nigrum fit mutatio. Quamquam & à bile in humorem nigrum mutationem fieri, ſuperius concluſum eſt.

Mutatio ordine carẽs omnino, quæ ſit.

Mutatio ordine carens quadam ex parte que ſit.

μαρτύρια δὲ τοῦ λόγου τὸ γεῶδες αἷμα καὶ μελαγχολικόν, τὸ ἁλικὸν φλέγμα ἐγγύς που τῆς ἰσατώδους τυγχάνον χολῆς, καὶ ῥᾳδίως εἰς αὐτὴν μεταβαλλόμενον.

Teſtimona autem huius opinionis ſunt, terreus ſanguis & melancholicus, pituita ſalſa, quæ proximè ad bilem iſatideam accedit, ſicque in ipſam facile mutatur.

Teſtimoniis exempliſque ex terreo ſanguine & pituita ſalſa ſumptis, mutationẽ eam quæ ordine conſtat, in humoribus reperiri confir

Ex humore nigro non fit aliqua pituitæ species.

mat. Cũ.n.mutationẽ fieri absolutè dixisset ex terreo in aqueum, ex aqueo in aereum, ex aereo in igneum, hic ea ad humores accomodat. Verũ quæ hic dicuntur parum videntur firma, proindeque ex veterum potius, quàm ex propria opinione ꝓlata. Nam non videtur fieri posse, vt ex sanguine terreo fiat non solum pituita, sed nec pituita salsa, quoniam cõstat eam humidam esse, id autẽ quod siccũ est, actione caloris, nullo modo fieri potest humidum. Deinde etiam si hæc concedantur, nõ videtur hic aliquid esse quod aeri ꝓportione respondeat. Nam si demus mutationẽ ex humore nigro in pituitam salsam, & ex pituita salsa in bilem isatideã effici, quem locum sanguis habebit? Prętera disputatur de humoribus in sua natura spectatis, & separatis tum ab aliis humoribus, tum ex cremẽtis, cum dicimus fieri mutationem inter humores: at pituita salsa, & bilis isatidea humores ꝑter naturam sunt. Ex humoribus autem inter se mixtis non negarem oriri quemuis humorem, vt ex bile sanguinem, si cũ bile admixta sit dulcis pituita. Verum hoc ratione pituitæ, nõ autem bilis fiet. Consyderemus autem deinceps singula verba, ordine eo quo posita sunt ac collocata. Ac primum illud λόγον conuerti opinionem, tum quia Theophrast⁹ in ea significatione mihi visus est aliquando vsurpasse, tum quia huic loco erat accomodatum. Nam cum illius sint penè innumerabiles significationes, hæc mihi videbatur hunc locum exprimere. Quod verò Galenus dicit τὸ γεῶδες αἷμα καὶ μελαγχολικὸν, hoc secundum adiecit ad primum explicandum Nam per sanguinem terre

Ex humoribus inter se mixtis oriri potest quiuis humor.

Λόγος significat aliquando opinionẽ.

um, indicat se sanguinem melancholicum intelligere. Pituita verò salsa duobus modis efficitur Galeni sententia, aut ob putredinem, aut ob serosæ humiditatis admixtionem, lotium & sudores facientis. Auicenna autem tertium modum adiecit, nimirum bilis cum pituita admixtionem. Si enim bilis cum pituita misceatur, pituita salsa euadet. Quod enim salsum est, ad amarũ refertur, vt mox docebo. Quid est bilis isatidea? Est quæ isatidis colorem refert. Isatis autem, quę Glastum à Gallis olim appellabatur, vt Cæsar in cõmentariis suis testatur, tibi probè cognoscenda est, saltem quantũ ad eius colorem attinet, si quæ de bile isatidea dicuntur, intelligere velis. Quod de isatide satiua, non autem syluestri intelligendum est. Isatis autem satiua, folia plantagini similia habet, sed pinguiora & nigriora. Vnde bilis isatidea colore proxima est nigrę bili. Et etiam consistẽtia ac viribus, vt suo loco docebo. Quomodo pituita salsa proximè accedit ad bilem isatideam? An ratione & saporis & effectus? Saporis quidem, quoniam sapor salsus reuocatur ad amarum, vt ferè idem videantur? Salsum autem saporem ad amarum referri, testatur Aristo. in secundo de anima, iis verbis. Saporum genera, colores ita imitantur, vt simplices contrarij sint, dulcis & amarus: Quos sequantur illum quidem pinguis, hunc salsus: Quibus interiecti sunt, acer, austerus, acerbus, & acidus.

Pituita tribus modis efficitur salsa.

Bilis isatidea quæ sit.

Isatis duplex

Bilis isatidea similis est nigræ bili.

Pituita salsa similis est bili isatideæ.

Sapor salsus reuocatur ad amarum.

Ca. 10.

Sapores qui & quot.

C. 4.

Et in libro de sensu & sensuum obiectis. Pinguis quidem sapor, saporis dulcis, est genus quoddam, salsus autem & amarus ferè idem sunt. Ergo ratione saporis pituita salsa proximè accedit ad

bilem Isatideam. Et etiam ratione effectus. Nam quemadmodum bilis isatidea vim magnam erodē di habet, ita & pituita salsa, sed tamen minorem. Quæ si magis ac magis aduratur, vertetur in eam. Quapropter cum pituita salsa accedat proximè ad isatideam bilem, facilis ex ea in hanc efficietur trā situs. Quomodo in corpore animalis generatur bilis isatidea, quæ colorem viridem habet, quemadmodum plātaginis folia, sed nigriorem, seu ad nigrorem magis declinantem? An de bile isatidea id dicendum sit, quod Galenus in secundo prędictionū posteritati reliquit de bile porracea, iis verbis. Gignitur in corpore quemadmodum crocea bilis per naturam habentibus, ita porracea altera præter naturam. Constatque vt hæc sæpenumero in ventriculo gignatur, propter quorundā cruditatem esculentorum aut olerum, qualia beta, cepa, brassica sunt. Atque etiam interdum talibus nequaquam ingestis, ratione egrotantis in venis gignitur, ac decumbit aut in ventrem superiorem, aut inferiorem, calorem in corpore indicans preter naturam, atque excrementi proprietatem, talis temperamento, qualis predictorū olerū succus est. Quocirca vt generationem porraceæ bilis Gale. refert vel in certa quædam esculenta, vel in calorem præter naturam, ita & nos isatideę bilis procreationem, in ea possumus reuocare. Calor enim pręter naturam magnam vim habet, colores introducendi varios in humores, qui in animantis corpore insunt.

Pituita salsa facile vertitur in bilem isatideam.

Bilis isatidea quomodo generatur.

Bilis porracea quomodo generetur.

Com. 39.

Calor præter naturā colores humorū variat.

φαίνεται δὲ καὶ φλεγματώδης χολὴ, καὶ μυξώδης, καὶ αἷμα τοιοῦτον. καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν ὑδαλέων καὶ καχεκτικῶν, ὥσπερ δῆτα καὶ ἐπὶ τῶν θερμοτέρων καὶ ξηροτέρων ἀμιγὴς ξανθή.

Apparet autem bilis tum pituitoſa tũ muccoſa, ſimiliter & ſanguis, vt in hydropicis & cachecticis, quemadmodum in calidioribus & ſiccioribus bilis flaua non mixta.



E admixtione inter ſe humorũ & ſinceritate hoc loco agit. Humores inquiens in nõnullis mixtos ĩter ſe, in aliis verò ſynceros, omniſque aliorum humorũ admixtionis expertes, reperiri. Quod autem humores aliquando inter ſe miſceantur hinc intelligi licet, quòd bilis apparet interdum cum pituita coniuncta, ſeu pituitoſa, interdũ muccoſa. Muccus autem à pituita differt. inquit enim Gal. in. 2. de facultatibus naturalibus. Excrementum quod à cerebro deſtillat, propriè non rectè appellatur pituita, ſed græcè βλέννα καὶ κόρυζα, latinè muccus. Senſu verò percipimus bilem pituitoſam ex vomitionibus & deiectionib⁹, muccoſam autem ex iis quæ per nares expurgantur. Eodemque modo ſanguis tum pituitoſus tum muccoſus apparet. Quod autem talis pituita, taliſq; ſanguis reperiatur, exemplo hydropicorum & cachecti-

Humores mixti ſunt aliquando inter ſe.

Muccus non eſt pituita.

Hydrops quid.

corum munit. Hydrops autem, vt Auicenna definiuit. 14. T. 4. cap. 5. est ægritudo materialis, cuius causa est materia exuperans frigida & ingrediens membra. Latini autem appellant aquam intercutem.

Hydropis differentiæ quot.

Hydropis differentias Aetius ser. 10. cap. 20. tres fecit, prima ascites ab vtre dicitur, altera tympanitis à tympano, tertia anasarca. Quarum definitiones & causas non persequor, quoniam alterius instituti esse videntur. Dicam solum vt docuit C. 6.

Hydropis causa.

Galenus in secũdo de facultatibus naturalibus, hydropis primam & continentem causam, esse efficientiæ sanguinis, seu, vt dicunt, sanguificationis imbecillitatem. Id quod etiam Galenus libro. 5. de locis affectis literis significauit. C. 6. Cum ergo imbecillum est hepar, nec probè sanguinem conficere potest, sed pituitosus remanet, efficitur profectò vt humores non posint ꝓbè inter se distingui, ita vt necesse sit quicquid bilis, & quicquid sanguinis, & etiã humoris nigri, in talibus inest, illud omne esse pituitosum. In hydropicis ergo & bilis & sanguis, & etiam niger humor pituitosus apparet. Similiter & in cachecticis.

Cachectici qui sint. Cachexia quid.

Cachectici enim sũt, qui malo corporis habitu sunt pręditi. Cachexia enim nil aliud sonat, quam malum corporis habitum. Qui est præuia quædam ad hydropem dispositio, ex mala hæpatis concoctione proueniens. Ex quibus intelligitur hoc interesse inter hydropẽ & cachexiã, similiter inter hydropicũ & cachecticum hominem, quod cachexia hydropis, & cachecticus hydropici principiũ esse videtur. Cap. 47. Quod Paulus libro tertio iis penè verbis confirmasse videtur. Principia aquarum cutem subeuntium græci

καχεξίαν, latini malum corporis habitum appellare consueuerunt. Et Aetius ser.10. inquit, cum corporis habitus in aquositatem diffunditur, καχεξία à græcis appellatur. Ex quibus perspicuum esse potest, & in cachecticis quicquid est & bilis & sanguinis & nigri humoris, illud omne pituitosum esse. C.19
Hoc tamen interest, quod minus in cachecticis, quam hydropicis pituitosum est. Cum itaque in his duobus hominum generibus tum bilem, tum sanguinem cum pituita mixtum tradidisset, subiũgit, in hominibus naturisúe calidioribus ac siccioribus bilem syncera m & nõ mixtam esse. Nam in ipsis consumitur omnis pituita, quæ vna cum sanguine vertuntur in bilem. Sed hic locus postulat, vt inuestigemus an synceri reperiantur humores, & ab omni admixtione secreti nec ne, à bile auspicantes, vt ordinem eum in humoribus teneamus, qui elementorum ordini proportione respõdet. Bilem ergo puram & syncerã reperiri, præsertim in temperamentis calidioribus ac siccioribus.i. biliosis hoc loco apertè Galenus testatur. Quod nõ de bile quæ in toto fusa est corpore intelligẽdum videtur, cum ea quæ in venis continetur, sanguini sit admixta, sed de ea quæ vel à folliculo felis atrahitur, vel in partem aliquam impetum facit. Talis enim pura videtur, & à cuiusuis humoris ad mixtione libera. In temperamento autem, vel pituitoso, vel sanguineo, vel melancholico, difficile erit vbi vbi volueris bilem puram inueniri.

Quæstio an humores synceri reperiãtur.

Bilis syncera in quibus & in qua corporis parte reperiatur, & in quibus non.

In quo ergo temperamento, & in qua eius parte bilem flauam synceram reperiri liceat, dictũ est. An verò sangnis syncerus reperiatur reue

Sanguis syncerus non reperitur.

ra, difficile explicatu est. Nam cũ in hepate, quatuor humores gignantur, vna cum sanguine, qui per venas fertur in vniuersum corpus, videtur perpetuò coniunctum esse aliquid pituitæ, quæ proprium receptaculum à natura non obtinuit, item aliquid serosi excrementi, vt veluti vehiculum sanguinis esset. Præterea Gale. in libro de atra bile sic scripsit: Quod igitur in venis & in arteriis humores omnes vna cum sanguine continentur, ostendit ipsius varietas, tum in colore, tum in consistentia. Galenus etiam in fine libri de plenitudine, inquit. Nam neque fieri potest, vt adeo syncerus in venis reperiatur sanguis, quin illi aliquid aut bilis, aut pituitæ, aut serosi humoris permixtum sit: siquidem syncerus ab alio humore sanguis & omnis admixtionis expers inueniri nusquã habetur. In secundo quoque de elementis exemplo lactis, aliisque multis rationibus sanguinem nõ esse vnũ sed uarium & multiplicẽ concludit. Sed mihi Galenũ fortasse opponis, qui in lib. 6. Epide. inquit. sanguinem bifariam dicimus: interdum syncerũ & à sero, pituita, bile vtraque secretum: interdum permixtum aliis humoribus, vt cum dicimus vacuatum esse sanguinem, nunc serosum, nunc pituitosum, nunc biliosum, nunc melãcholicum. Duobus modis ad hoc videtur responderi posse, vno sanguinem syncerum cogitatione concipiendum esse potius, quã reuera reperiatur. Altero, nos memores esse oportere illius præcepti, quod Galenus in suis operibus toties inculcauit, nimirum medicos esse artifices, qui sensibus omnia iudicãt ac concludunt. Quapropter si sensus videbit san-

C.5.

C.2.

Obiectionis solutio.

Sanguis syncerus cogitatione percipitur.

Medicus sensus iudicium sequitur.

guinem nihil aliorum humorum admixtum habere, ſyncerum eum eſſe iudicabit, etiam ſi aliquid alterius humoris eum eo ſit confuſum. Verum quoniam parua admodum portio eſt, vt quæ ſenſum fugiat, purus iudicatur. Concludamus ergo ex Galeni & veritatis dogmatibus, ſanguinem ſyncerum ac prurum non inueniri. Si enim reperiretur, eſſet profectò, aut in temperato homine, aut in tẽperamento ſanguineo, in quorum neutro cernitur. In ſanguine enim ineſt pituita dulcis & ſemicocta, quæ temporis progreſſu per coctionem in ſanguinem tranſit. Ineſt & bilis pallidæ, aut flauæ ſed naturalis & benignæ portio, ac etiam humoris melancholici, vt conſtet partibus omnibus & temperamento & quantitate maximè variis. Sanguinis enim portio plurima, deinde pituitę, tũ ſucci melancholici, & bilis paucíſsima. De pituita an pura exiſtat dicam⁹. Exiſtimo itaque in tẽperamẽto pituitoſo & frigido ſyncerã reperiri, non quidẽ in toto [pituitoſi hominis corpore], cũ pituita ea quæ in hepate & venis exiſtit, ſanguinem coniunctum habeat, ſed in ventriculo. Nam ob ventriculi frigidi imbecillitatem gignitur in eo pituita, quę nec bilem admixtam habet, cum ibi non ſit calor multũ acer & mordax, qui eã procreare poſſit, nec ventriculus ſanguinis officina ſit, ideóque talis pituita à ſanguine ſecreta ſit, niſi vas aliquod venoſum, vel eroſum, vel ruptum fuerit. Erit etiã pituita in ventriculo exiſtẽs ab humoris nigri mixtione libera, cum ille in venoſo genere contineatur, niſi forte fortuna impetum faciat natura in eum, quem, ad ventriculum vt vomitione expurge

Sanguini reliqui humores ſunt admixti.

Pituita ſyncera, in quibus, & in qua eorum parte ſit.

Pituita ſyncera in ventriculo.

Pituita syncera circum neruos.

tur, vel ad intestina, vt deiectione, emittat. Pituita ergo pura in ventriculo esse potest. Sed etiam circũ neruos & alias omnes partes pituitosas ea reperitur, vt experiẽtia quisque comprobare potest. Galenus etiam .3. de temperamentis inquit, omne animal conueniente sibi alimento nutriri: conueniens autem cuique alimentum est, quicquid assimilari potest corpori quod nutritur. Proinde si nutritio est ad id quod nutritur, eius quod nutrit, assimilatio, vt in primo de naturalibus facultatibus explicatum est, certè vt sanguineæ partes sanguine, & melancholicæ melancholia, ita pituitosæ pituita indigebunt si nutriri debeant, quæ illis quidem pura circunfunditur, cum attrahitur ab ipsis. Nisi fortasse potius muccositatem quandam, vt medici loquuntur, appellare velis. Eodemque modo excrementum illud quod à cerebro destillat, si pituitæ nomine appelletur, purum ac syncerum in nonnullis & sæpe videre licebit. Denique de humore nigro, hoc videtur dicendum, eũ in temperamento melancholico, & solum in splene inueniri syncerum, non in aliqua alia parte, nisi forte natura impetu quodam, in eam illum propellerit. Diximus itaque an humores synceri reperiãtur, & in quibus temperamentis, & in quibus partibus. C.2.

Nutritio quid.

Pituita syncera in cerebro.

Humor niger in quibus & in qua eorum parte reperiatur.

καὶ τούτων αὐτῶν ἀπεπτησάντων, ἡ πρασώδης ἐμουμένη τε καὶ διαχορουμένη φαίνεται.

Atque iis ipsis non concoquentibus, bilis porracea, & vomitione, & deiectione apparet.


N calidioribus, ſiccioribuſque temperamentis bilem purã reperiri tradidit, nunc in iiſdem cum non coquunt, porraceam bilem ineſſe inquit, idque ſenſus teſtimonio cõfirmat. Senſu enim percipitur, tales naturas non coquentes & vomitione reiicere, & alui deiectione deponere porraceam bilem: vomitione quidem, quia in ventriculo generatur, vt teſtatur Gale. in .2. prædictionum, cui cum infeſta ſit, in eam ventriculus, vt euomat, inſurgit. Deiectione verò, quoniam, vt in modò citato loco, etiam in venis generatur, ac decumbit aut in ventrẽ ſuperiorem, aut inferiorem, calorem in corpore indicans præter naturam, atque excrementi proprietatem. Quomodo temperamenta calidiora & ſicciora, nõ dicũtur coquere? An quia cõcoctio fiat à moderato calore, conueniente vnicuiq; humori. Si ergo calor vel infra modum, mediocritatem ue eſt, vel eam tranſit, iam non dicitur amplius coquere. Quanquam procreationem porraceæ bilis, non referrem in copiam ac quantitatem caloris, ſed potius in prauam eius qualitatem, nomine proprio carentem, mente tamen comprehenſam, quemadmodum bilis flauæ nimiam copiam, in caloris acrimoniam & mordacitatem quandam, veteres referre conſueuerunt. Verborum ergo horum hic videtur ſenſus. A temperamentis naturiſque calidioribus & ſiccioribus, non coquentibus probè ob prauam quandam caloris qualitatem, nomine carentem, vomitione & deiectione effunditur porracea bilis. Sed hic

Com. 39.

Temperamẽta calidiora & ſicciora cur non coquant.

Coctio fit à moderato calore.

Calor præter naturam eſt, vel quantitate, vel qualitate, vel vtraque.

Bilis coquitur tribus modis, moderatè, nimiũ, parum.

locus vt perfecta harum rerum cognitio habeatur, videtur expoſcere, vt de cruditate & coctione humorum breuiter agamus. Intelligendum eſt ergo bilem tribus modis concoqui poſſe, ſcilicet, nimium, parũ, & mediocriter. Mediocriter quidem ſi ad eum gradum coctionis peruenerit, quem natura prȩſcripſit. Credendum eſt enim naturam ſagaciſsimam certum quendam terminum coctionis ſtatuiſſe, quem naturalis bilis attingere debeat. Et quandiu eum attigerit, tandiu bilis naturalis dicetur. Atque eiuſmodi bilis, cocta appellabitur. Si vero infra eum coctionis terminum bilis flaua cõſtiterit, cruda, ſi eum tranſierit, aduſta erit nominanda. Eodemq; modo ſanguis tribus modis poteſt concoqui, nimium, parum, & moderatè. Moderatè quidem, ſi coctionis terminũ à natura præſcriptum, (quem prȩſcriptum eſſe exiſtimandum eſt,) attigerit: & coctus ſanguis dicetur. Parum, ſi non perueniat ad eundem coctionis terminum, & crudus vocabitur. Nimium, ſi modum coctionis egrediatur, & aduſtus erit vocandus. Similiter & pituitam, & humorẽ nigrum tribus modis concoqui poſſe, explicandum eſt.

Sanguis coquitur tribus modis, moderatè, nimiũ, parum.

Pituita & humor niger coquitur tribus modis.

Τῇ μὲν οὖν τάξει τῶν μεταβολῶν, καὶ ἡ τάξις πρόεισι τῆς ἐπικρατήσεως, τοὐναντίον δὲ τοῖς κατ' αὐτὴν μεταβάλλουσιν.

Ordine ergo mutationum, progreditur victoriæ ordo, contrarium autem accidit hiſce quæ eo ipſo ordine mutantur.


Onſequutio hæc videtur referẽda, non ſolum ad ea quę de mutatione ordine tum cõſtante, tum carente ipſorum humorum dicta ſunt, verum etiam ad ea quæ de elementis. Ordinem ergo mutationum, tum humorum, tum elementorum, ſequitur victorię ordo, & etiam ordo eius, quod victoriæ contrarium eſt. Victoriæ autem offenſionem contrariã facere videtur Cicero in oratione pro Pom. iis verbis. Cuius adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris, non offenſionibus belli, ſed victoriis, non ſtipendiis ſed triumphis eſt erudita. Sed tamẽ hoc vocabulũ, offenſionis, huic noſtro propoſito nõ eſt accomodatum. Vocabulum autem paſsionis, quamquam minus latinum, erit tamen fortaſſe accomodatum magis. Erit igitur horum verborum hic plenus ſenſus. Ordinem mutationum, ſequitur ordo victoriæ, item ordo paſsionis. Intelligendum eſt autem, in omni mutatione ordine conſtante vel carẽte, vt cum ex igne fit aer, ex aere aqua, ex aqua terra, duo eſſe, alterũ quod mutat, & alterum quod mutatur: ſeu alterũ quod agit, & alterum quod patitur. Quam ob cauſam in tali mutatione erit duplex ordo, alter victoriæ, nimirum eorum quæ mutant & agunt, alter paſsionis, nempe eorum quæ mutantur & patiuntur. Vt cum ex igne fit aer, victoria eſt aeris paſsio ignis: & cum ex aere oritur aqua, victoria eſt aquæ, aeris paſsio: denique cum ex aqua generatur terra, ipſa quidem terra vincit, aqua verò ſuperatur. Atque hęc mutatio ordinem habet,

Victoriæ contraria offẽſio

In mutatione eſt alterũ quod mutat, & alterum quod mutatur.

In omni mutatione ordine conſtante duplex eſt ordo.

Ordinē mutationū sequitur ordo victoriæ, & ordo perpeſsionis.

Idem quoque eueniet, ſi mutatio ordine carebit. Quapropter ordine mutationum progreditur & victoriæ ordo, & ordo perpeſsionis, id eſt, ſi ordo mutationis fiat à primo in ſecundum, & à ſecūdo in tertium, & à tertio in quartum, talis quoque erit ordo victoriæ eorum quę mutant, & ordo perpeſsionis eorum quæ mutātur. Si verò ordo mutationis fuerit à primo in tertium, & à ſecundo in quartum, vel aliquo alio modo eorum, qui expoſiti ſuperius à nobis ſunt, talis profectò erit ordo tū victorię tum perpeſsionis. Cęterum illud κατ' αὐτὴν videtur referri poſſe, tum ad ἐπικράτησιν.i. ad victoriam, tum ad τάξιν.i. ad ordinem. Ad ordinem autem malui referre, eo quod ſentētia magis perſpicua videretur. Si etiam ad victoriam referas, non admodum repugnabo, præſertim cum eadē ſententia remaneat. Hoc etiam admonere volo, vocabulum illud μεταβάλλω & in agendi & in perpetiendi ſignificatione vſurpari. In agendi quidem in problematibus Ariſto. eo eſt vſus, cum inquit, θεωρῶν ὡς μεταβάλλει τοὺς πίνοντας.i. contemplans vt mutat bibentes. In patiendi autem, in. 5. politicorum inquiens, ἀλλὰ μετέβαλλεν ἡ τάξις id eſt. Sed mutatus eſt ordo. Cum res ita habeat Galenus hoc loco in patiē di ſignificatione vſurpare videtur.

μεταβάλλω in agendi, & patiēdi ſignificatione vſurpatur.

Αὔξει δὲ ἄλλῳ ἄλλος ἄλλοτε χυὸς, κράσει, καὶ ὥρᾳ, καὶ χώρᾳ, καὶ ἡλικίᾳ, καὶ διαίτῃ γεννώμενος, ὥσπερ ἅπασιν ἅπαντες τεταγμέναις περιόδοις, καὶ καιροῖς τοῖς ἑαυτῶν γεννώμενοί τε καὶ ἐπίδοσιν ἔχοντες.

Augetur autē in alio atque alio alius humor, alia atque alia re, nimirum temperie, anni parte, regione, ætate, victus ratione, quemadmodum in omnibus omnes, statis periodis ac tempestatibus, & generantur & incrementum habent.



Ausas incrementi vniuscuiusque humoris, hoc loco tractare ingreditur. Quas primum hac similitudine illustrat. Quemadmodum in omnibus hominibus omnes humores statis periodis ac tempestatibus & generantur & incrementum habent, ita alius & alius humor in alio atque alio augetur, alia atq; alia re, nimirum temperie, anni parte, regione, ætate, & victus ratione. In qua tractatione Galenus obseruat illud ꝙ in primo physicorum posteritati reliquit Arist. nimirum ab vniuersis ad singula esse progrediēdum, ob eam vt existimo causam, ne idem sæpius ac sæpius frustra repetere atque inculcare cogamur. Nam Galenus hic quinque communes ac generales causas incrementi humorum omniū cōmemorat, quę si notis quibusdā contrahātur, ꝓpriæ cuiusque humoris efficientur. Nā tēperamētum simpliciter, est causa omniū humorū, sed si cōtrahatur hoc modo, tēperamētū calidū & siccū, est causa incremēti bilis, tēperatū est causa sanguinis incrementi, frigidum & humidū, pituitæ: Frigidū & siccum, melancholiæ. Similiter anni pars sim-

Ca. 1

Cur ab vniuersis ad singula progrediendum.

Causæ quinque generales incremēti humorum, notis contrahi possunt.

pliciter ſumpta accretionis omnium humorũ cauſa dici poteſt, contracta vero notis quibus, accretionis cuiuſque humoris propria euadit. Pars enim anni calida & ſicca, vt ęſtas, eſt cauſa incrementi bilis: Temperata, vt ver, ſanguinis: frigida & humida, vt hyems, pituitę: Sicca, & in calore & frigore inęqualis, vt autumnus, humoris nigri. Eodemque modo de regione, ætate, ac victus ratione iudicandum eſt. Quapropter in alio atque alio, alius atque alius augebitur humor, temperie, anni parte, regione, ętate, ac victus ratione. Quid eſt quod ait Galenus, in omnibus hominibus & animalibus ſtatis periodis & tempeſtatib⁹, omnes humores generari & incrementum habere? Hoc intelliges planius, ſi quid ſit periodus aperiatur. Periodus itaque ab interpretibus Ariſtotelis, in eum ſecundi libri de ortu & interitu locum, vbi inquit omne quod interitui eſt obnoxiũ, habere certam periodum, ſic definitur, Periodus eſt determinatum tempus durationis vniuscuiuſque rei. Medici autem plerique periodum appellant tempus in morbis, quod ex intenſione & remiſsione cõſtat. Accomodantes ergo ad inſtitutum noſtrum, dicamus periodum eſſe certam quandam & definitã temporis anni partem, in qua talis humor ſolet & generari & incrementum habere. Ob eamq; cauſam non ſolum dixit ſtatis periodis, ſed adiecit, & tempeſtatibus, indicans per periodum ſe intelligere definitam partem temporis anni. Partes autem anni omnium maximę ſunt quatuor, ver, ęſtas, autũnus, atq; hyems. Partes verò anni omniũ minimæ & perfectæ (partem anni minimam eamque

Periodus quid.

C.10

Anni partes & maximæ & minimæ.

perfectã appello totũ illud tẽporis interuallũ, quo sol ab ortu ad peruenit ortum, quod certè viginti quatuor horis terminatur) sunt dies naturales. Si ergo per periodos intelligamus partes anni maximas, sic locus erit ntelligendus, statis perioridis & tempestatibus, humores generantur & augentur, ita vt vere, sanguis generetur & augeatur: ęstate, bilis: autũno, humor niger: hyeme, pituita. Quę omnia in libro de natura humana docuit Hyppocrates, Et Galenus commentariis suis in eundem librum euidentisimè demonstrauit. Sin verò per periodos intelligamus minimas anni partes perfectas (perfectas dico, vt semoueantur momenta & horæ) hoc est, dies naturales, Sorani sententia locum habebit. Humores, (inquit) suis temporibus in corpore dominantur, nẽpe sanguis ab hora noctis nona, vsque ad horam diei tertiam: bilis flaua ab hora diei tertia, vsque ad horam nonam diei: biles nigra ab hora diei nona vsq; ad horam noctis tertiam: Pituita ab hora noctis tertia vsque ad horam noctis nonam. Hæc ille. Vbi sumitur diem & noctem pares esse, scilicet vtrumque constare ex duodecim horis, & principium noctis ab occasu sumendum esse. Quæ Sorani opinio, multis non probatur, quamquam dies naturalis certo quodã modo proportione anno respondere videatur.

Sorani sentẽtia de dominatu humorum singulis diebus.

His ita constitutis, perspicuum esse potest omnes humores in omnibus hominibus statis periodis augeri. Nam in temperamento bilioso, veris tempore crescit sanguis plus, quam alia anni parte, tẽpore verò æstatis, bilis magis abundat quam alio tempore, etiam si temperamentum illud sit bilio-

Statis periodis humores augentur.

ſum. Autumno humor niger, hyeme pituita amplior generatur, quam quauis alia anni tēpeſtate. Nam ex quatuor humoribus conſtamus omnes. Idem de temperamento, tum ſanguineo, tum pituitoſo, tum melancholico dicendum eſt. Quæ temperamenta ſi ad quatuor naturalis diei partes accōmodare volueris, hoc inductione perſequaris.

Θέρει γὰρ αὔξει πικρά. ἡλικίᾳ δὲ καὶ κράσει καὶ διαίτῃ παραπλησίᾳ καὶ μάλιςα, ἔτι τε καὶ τοῖς ἔξωθεν· καὶ γὰρ καὶ φροντίδες, καὶ θυμοὶ καὶ λῦπαι, πόνοι, καὶ γυμνάσια, καὶ ἀγρυπνίαι, καὶ ἀσιτίαι, καὶ ἔνδειαι, πλείονα τὸν τῆς ξανθῆς χολῆς ἀθροίζουσι χυμόν.

AEſtate enī augetur amara bilis: & maxime ætate, & temperamento, & victus ratione ſimilibus. Præterea & iis quæ extrinſecus accidunt. Curæ enim, & iræ, & dolores, & labores, & exercitationes, & vigiliæ, & inediæ, & indigētiæ, plurimū flauæ bilis humorem accumulant.

CAuſis vniuerſis ac generalibus incremēti humorum omnium expoſitis, hîc ad ſingulares & proprias accumularionis cuiuſque humoris explicandas deſcendit. Ac primum quibus cauſis flaua bilis augeatur, exponit, ſimul confirmans id quod dicebat, ſtatis periodis humores augeſcere. Nam ſi ęſtate bilis amara

augetur:autũno,humor niger:hyeme pituita: vere,ſanguis, efficitur profecto vt ſtatis periodis ac tẽpeſtatibus,humores incrementũ habeant. Duodecim autem cauſę accretionis bilis hoc loco à Galeno commemorantur,ſcilicet,æſtas,ætas, temperamentum,victus ratio,curę,irę,dolores,labores, exercitationes,vigiliæ,inediæ,indigẽtiæ. Quę omnia eo quo poſita ſunt ordine,breuiter explicabimus. Æſtate,inquit,augetur amara bilis,preſertim naturam ſuam ſeruante,id eſt, calida & ſicca maximè exiſtente. Nam cum aer æſtatis tẽpore ſit maximè calidus & ſiccus,& corporibus noſtris circũfundatur,& in corpus,non ſolum inſpiratione attrahatur,ſed per poros apertos ingrediatur,efficitur profecto,vt aer ſuo calore ſuaque ſiccitate,partem ſanguinis tenuiorem in qualitatem amarã & acrem cõuertat. Quo fit,vt æſtate bilem amaram & generari & augeri neceſſe ſit. Æſtate ergo augetur amara bilis,& maximè(inquit)augetur,ſi ętas, temperamentũ,& victus ratio æſtati fuerint ſimilia,hoc eſt,ſi ætas ſit calida & ſicca, temperamentum,calidum & ſiccum:victus item ratio calida & ſicca. Ætas calida & ſicca eſt iuuentus, quæ omniũ ętatũ eſt biliosiſsima,vt teſtatur Galenus in ſecundo de differentiis febrium. Febris(inquit)tertiana parte plurima conſiſtit in corpore natura bilioſo, & in ætate vigoris, quæ eſt omnium ætatum maximè bilioſa, & tempore æſtiuo maximè, quo talis humor exuperat, Itidem in regione calida & ſicca,temperamento & conditione ambientis aeris tali, & vita non otioſa ac deſidi plurimum,ſed in labore,cura, vigiliis,

Cauſæ accretionis bilis duodecim cõmemorãtur.

Æſtas eſt cauſa incrementi bilis.

Iuuentus eſt cauſa incrementi bilis.

Ca.1

Iuuentus omnium bilioſiſsima.

æſtu,& victu parco,eoque calido & ſicco . Hæc ille . Ex quibus intelligi poteſt ætatem iuuenilem eſſe cauſam incrementi bilis.Sed & temperamentum,ſcilicet calidum & ſiccum.Calor.n.immodicus tum vẽtriculi, dum hepatis, tum cordis, tũ venarum & arteriarum , chylum & tenuiorem ſanguinis partem in humorem acrem & amarum cõmutare facile poteſt. Præſertim ſi victus ratio fuerit calida & ſicca.i. ſi eſculentis & poculentis calidis & ſiccis is,qui eiuſmodi temperamento ſit pręditus,ſemper aut frequentius vtatur.Curę eodem modo ac cogitationes ſunt cauſæ accretionis amaræ bilis,Nam cogitatio in cogitando vtitur ſpiritu animali,quemadmodum vis iraſcendi,in iraſcendo vitali,& vis concupiſcendi in concupiſcendo, naturali.Si ergo crebræ ac vehementes fuerint curæ ac cogitationes,ſpiritus animalis nimio eo motu inflammabitur. quo inflammato , non ſolum reliqui ſpiritus per communicationem quãdam, verum etiã ſanguis & reliquę corporis partes veluti incendentur.Vnde cõſequetur partis tenuioris & pinguioris tum ſanguinis tum ſpirituum in amaram bilem conuerſio.De ira eodem modo dicendum eſt.Nam eſt ebullitio ſanguinis in corde, vt multis in locis definiuit Ariſto.præſertim in ſecundo de anima,& primo poſteriorum.Quę duplex eſt altera moderata,altera immoderata: & vtraq; à ratione, ſeu recta,ſeu deprauata originem habet.Niſi.n.ratio dictaret ob iniuriam ſibi illatã eſſe iraſcendum,ad iram nunquam excitaretur homo.Cum ergo ratio duxerit eſſe iraſcendum, initio ſanguis & ſpiritus confugiunt ad cor,ideoque

Temperamẽtũ calidũ & ſiccũ eſt cauſa bilis.

Victus rõ calida & ſicca eſt cauſa bilis

Curæ ſunt cauſæ bilis.

Ira eſt cauſa incrementi bilis.
Ira quid.
Ira duplex.

liuidi pallidiúe videntur homines, cũ ira commoueri incipiũt. Deinde in corde adeò efferueſcit ſanguis, vt fundatur in vniuerſas corporis partes, ita vt per oculos irati ignem emittere videantur & toto ex pectore crudelitas emicare. Sed nõ ſolum ſanguinem, verum etiam & bilem ſpargi in omne corpus, cum iraſcitur homo, Nemeſius philoſo-
Ca. 6 phus literis mandauit, id quod ego aliquando vidi. Si plura de ira ſcire deſyderas, & aliis animi motibus, vide Galenum in ſecundo de cauſis ſymptomatum. Dolores etiam (inquit) ſunt cauſæ copio- *Dolores ſunt cauſæ incrementi bilis.*
C. 2. ſioris bilis. Dolor autẽ eſt triſtis aſperq́; ſenſus, vt definiuit Gal. in .2. de loc. af. Qui duplex eſt alter animi, alter corporis. Nam cum obiicitur aliquid triſte, & animo apprehenditur, naſcitur quædam illius affectio, & ſenſus triſtis, qui dicitur dolor. *Dolor quid. dolor duplex*
Sed dolores bilis cauſas eſſe, meritò alicui admirationem excitabit. Nam Gal. in. 2. de cauſis ſymptomatum ſic ſcribit. Dolor contra quam gaudium animam moueri cogens, non leuiora, quã maximus dolor, affert ſymptomata. Quippe laborantes dicolores apparent, refrigerantur, rigore concutiuntur, tremunt, pulſus minores redduntur, & abolentur, tandem veluti attoniti moriuntur. Nã in iis fugit intimus calor ad principium, ac anima ſoluitur ſimul atque extinguitur. Hæc ille. Quæ & de animi dolore poſſunt intelligi, cũ in iis qui animi dolore tenentur, ea omnia vſuuenire videamus. Quibus cum tradat in dolore calorem extingui, quomodo dolor bilis cauſa eſſe poterit? An dicendum ſit, in dolore ſanguinem & ſpiritum ad cor confugere, ob eamq́ue cauſam cor & illi vici- *Quæſtio.*

nas partes calidas maxime fieri, ideoq́ue calorem illum posse tenuiorem sanguinis partem in bilem flauã mutare Quatenus ergo in dolore calor cõfugit ad cor, eatenus procreatio bilis consequitur. Spiritus enim ad suam originem reuocati, sese accẽdunt ac inflammant. Si verò tendem extinguãtur, eò quod spiritus se & opprimunt & inculcant & suffocant, nihil contra nos concludi videtur. Labores similiter & exercitationes bilis procreandę causæ esse possunt. Nam cum duo corpora solida inter se colliduntur, calefiunt vehementissimè, ꝙ experieris si manum manu frices. In labore autem & exercitatione, articuli manuum, pedum, tibiarũ & reliqui corporis incalescunt. Articuli vbi incaluerint, calefaciunt tendones, cartilagines, & partes vicinas omnes, & illæ alias, quousque nimius ille calor communicatur venis arteriisq́ue. Atque hoc modo per neruos ad cærebrum, per venas ad hepar, per arterias ad cor peruenit. Inflammato ergo vniuerso corpore, tenuior sanguinis pars, in bilem vertatur necesse est. Laborem autem interdum ab exercitatione distingui, interdum cum ea confundi, in. 2. de sanitate tuenda Galenus iis verbis indicare videtur. Illud ante omnia discutiendũ est an idẽ sint labor, motus & exercitatio: an motus res diuersa, labor & exercitatio neutiquam differant. Ac mihi quidem non quiuis motus exercitatio videtur, sed tantum si quis vehemens est. Quoniam autem eorum que ad aliquid dicuntur est quod vehemẽtius dicitur, fieri potest, vt idem motus alteri sit exercitatio, alteri nõ sit. Terminus ergo vehementiæ, esto anhelitus alteratio, quãdo

Labores & exercitationes sunt incrementi bilis causæ.

Labor quomodo ab exercitatione distinguatur

Exercitatio quid.

Cap. 20.

in quibus nulla fit anhelitus mutatio, hos nondũ exercitationes vocamus. Quod ſi maius celeriuſue aut crebrius iã ex motu aliquo reſpirare cogitur, huic certè tantus motus exercitatio fuerit. Ea igitur cõmuniter exercitatio vocatur. Propriè vero à loco græcè denominatur, quem gymnaſion ipſi appellant. Is locus eſt in publica aliqua verbis regione extructus, quò vngendi, fricandi, luctaturi, diſcum iacturi aut tale quippiam facturi conflu unt. Laboris appellatio idem mihi ſignificare videtur cum priore ſignificatione nominis gymmaſij ſiue exercitationis, nempè cõmuni illo quod prædiximus. Quippè cum & qui fodiunt, & qui metunt, & qui equitant non laborent modo, ſed etiam exercitentur, communi ſaltem exercitationis appellatione. Vigiliæ ſimiliter incrementum bilis efficere poſſunt. Nam Hippocrates in ſeptimo aphoriſ. inquit, in vigilia conuulſio. In quem explicandum talia fatur Galenus. Ex iis quæ maximè euacuant & exiccant, vigiliæ ſunt: Atque ideo conuulſionem ex ſiccitate faciunt, immodicæ ſiccitatis ratione, ac ꝓpterea, quia in lõgis vigiliis bilioſior redditur ſanguis. Ex quibus patet vigilias & exſiccare & bilioſiorem efficere ſanguinem. Quod ideo euenire exiſtimo, quia in vigiliis ſemper aliquid cogitatione voluitur, vnde ipſius ſpiritus animalis, quædam veluti inflammatio conſequitur, quæ aliis ſpiritibus & ſanguini communicata, bilem amaram procreat. Inediæ denique & indigentiæ generant bilem, quod teſtatur Galenus in. 10. de methodo medendi iis verbis. Calidis & ſiccis naturis, aduerſiſsima res eſt

Vigiliæ ſunt cauſæ incrementi bilis.

apho. 18.

Inediæ & indigentiæ accretionis bilis ſunt cauſæ

naturæ ſiccæ aliæ naturales, aliæ acquiſitæ.

inedia ac febriũ paratiſsima cauſa. Voco naturas calidas & ſiccas, non ſolũ quæ à primo ortu tales ex proprio tẽperamẽto ſint, ſed etiã quæ poſteri' ex calida ſiccaque victus ratione, & tẽpore ęſtiuo, & cæli ſtatu calido ſiccoq; ſint acquiſitę. Hippocrates etiam in. 6. Epidemi. de inedia ediſſerens ſic inquit. Qui bis die comedere conſueuerunt, ij ſi non prandent, ægrotant, tum imbecilli fiunt ac timidi ad quoduis opus: præterea cordis dolorem ſentiunt, ſiquidem ſuſpenſa illis viſcera videntur, & calidum pallidumque mingunt, & deiectio vritur. Sunt preterea quibus os ventris amarum eſt, oculi cauantur, tempora ſaliũt, & extremę partes frigent. Quæ omnia Galenus in octauum de methodo medendi tranſtulit, ac ſummopere laudauit. Quem librum diligentiſsimè videas, ſi de inedia alia permulta tibi cognita eſſe cupis. Inedia ergo mihi videtur ob id cauſa bilis, ꝓpterea ꝙ quẽ admodum ignis ſemper agit ita calor innatus. Si ergo nihil cibi ſumatur, in ſanguineas partes primum & alias deinceps agat neceſſe eſt. Atque ita tenuiorem ſanguinis partem in bilẽ mutabit. Adde quòd acrior mordaciorque euadit. Nam vt ibidem Galenus ait, qui naturalem temperaturam parum moderatam habẽt, horum inſitum calorem, ſi ſqualens acerque eſt, cibi mitiorem, minuſque mordentem reddunt. Ergo à contrariis, inedia calor acrior mordaciorque ac ſqualentior reddetur. Cæterum adiunxit quoque indigentiam generare bilem, quia eo modo, quo inedia, eã procreat. Inter vtrumque autem hoc videtur intereſſe, quia inedia aliquando voluntaria eſt, indigentia verò

Inedia bilioſis maximè contraria.

Inedia cur cauſa bilis

Calor acer cibis mitior redditur, & inedia multo acrior.

Inedia quid ab indigẽtia differat.

ſemper præter voluntatem. Hactenus explicaui eas duodecim ortus & incremẽti bilis cauſas, quę hoc loco à Galeno commemorantur. Quoniam autem hîc omnes non commemorantur, idcirco eas omnes quæ apud Hippocratem & Galenum alioſque præſtantiſsimos medicos inueni & obſeruaui, in vnam veluti ſeriem cogendas putaui, ne huic tractationi de humoribus aliquid deſit, & labor earum, vel excogitandarum, vel apud alios quærendarum, omnis auferatur. Quæ vt memoria facilius teneri poſsint aliquo ſchemate diſponantur. Quod in fine libri requiras, ibi enim accommodatiſsimum habuit locũ. Schema autẽ eſt primum eorum quæ ibidem ſedem habent.

ὥσπερ δῆτα ὕπνοι, καὶ ὑδροποσίαι, καὶ ἡ τῶν θαλασσίων, καὶ τῶν ὑγροτέρων πάντων καὶ παχυμερῶν καὶ γλίσχρων ἐδωδὴ, τὸν φλεγματικόν.

Quemadmodũ & ſomnus, & aquæ potiones, & marinarum, & humidarum rerum omnium: & craſſarum, & viſcoſarum eſus, pituitoſum.



Sex incrementi pituitę cauſę, hoc loco commemorantur, quarum quatuor poſteriores latiſsimè patent, ac ambitu ſuo alias penè innumerabiles complectuntur, quas omnes in

tabella quadam ſpectãdas proponam, ſi prius cur quæ hic ponuntur, pituitæ & generandæ & augẽdæ ſint cauſæ, expoſuero, à ſomno ſumpto initio.

Sõnus quid

Sõnus vt doctè definiuit Ariſto. in libro de ſomno & vigilia, eſt imbecillitas ſenſuũ, effecta ab vtili humore ad cerebrum aſcendente, & ibi refrigerato ad cor deſcendente, illudq́ue ita inuoluente, vt non ſinatur ad cerebrum ſpiritus ferri, qui motũ & ſenſum ſingulis animantis partibus ſuppeditare ſolent. An vero cor ſit primum ſentiendi inſtrumentum, an cerebrũ, alterius ſit inſtituti. Nũc ſatis ſit, quicquid illud fuerit, ſomnum copioſę pituitæ cauſam eſſe docere. Nam ſomnus nimius cerebrum nimia humiditate opplet, ſiquidẽ in ſomno ab omnibus corporis partib⁹ intrò ducitur calor, & cerebrum ſuapte natura frigidum maximè, ſi non omnino, ſaltem magna ex parte, calore priuatum relinquitur. Cum verò tunc venter ſit maximè calidus, ideoq́ue perpetuæ ad cerebrũ aſcendant exhalationes, quæ ab eo refrigeratæ in pituitam conuertuntur, fit profectò, vt quò longior fuerit, ſomnus eò pituitæ largior copia abũdet. At nobis vigilantibus, nec tot ſurſum feruntur exhalationes, quia venter non eſt ita calidus, & quæ aſcẽdũt, non ita concreſunt, quia cerebrũ non eſt adeò frigidum. Adde quod vigiliis & motu diſcutiuntur. Aquæ potiones ſimiliter pituitam coaceruãt, propterea quod frigida & humida eſt quẽadmodum pituita. Quare calorem imbecillum efficit, qui cum talis eſt, maxima pituitæ cauſa eſſe ſolet. Adde quod aqua nihil nutrit, vt docet Gale. Nec ſolunt aquæ potiones, ſed vini, modum ex-

Somnus eſt cauſa pituitæ

Aquæ potiones, pituitæ ſunt cauſæ

Vini nimia copia pituitã gignit.

cedentes, pituitoſos morbos parere ſolent, teſte Galeno in 2. de cauſis morborũ. Nõnulli (inquit) apoplexia, aut morbo comitiali laborauerunt, aut ſẽſus motioniſque incommodũ ſubierunt, aut alio quopiam pacto refrigerati ſunt, idque ob ebrietatem, quãuis vinum (ſi modicè ſumatur) intimũ calorem augere poſsit, quippè quod ſit alimẽtum maximè familiare. Huius rei cauſã paulo ante Gale. expoſuit iis verbis. Alimẽtorum (inquit) vel abundantia, vel inopia, aut aliena qualitas, ad hunc igni modũ officit, magna quidem lignorum ſtrues, ſi confertim exiguæ flammæ iniiciatur, ob immodicæ quantitatis exceſſum, eam ſuffocabit. Eodemque modo immoderata vini quantitas extinguet ventriculi calorem, cum tantus non ſit qui illud ſuperare poſsit, ſed quadam ex parte ſolùm alteratum in pituitam totum mutatur. Similiter eſus marinarum rerum, quales ſunt piſces, ac præſertim ij, qui in paludibus degunt, & rerum humidarum vt pirorum pomorumque ac ſimilium, item craſſarum ac viſcoſarum, quales ſunt partes neruoſæ animaliũ, quæ modò ordine diſponẽtur omnes. Harum omnium vna eſt ratio, nimirum quia tota ſubſtantia ſunt pituitoſæ. Et quæ craſſæ & quæ viſcoſæ ſunt, ob craſsitiem viſcoſitatemque à calore non poſſunt planè ſuperari. Proinde ab ipſo eatenus alterantur, quatenus in pituitam commutantur. Sed vt polliciti ſumus eas omnes, in tabella quadam veluti depingamus, quam ſecũdam in fine libri inuenies.

Eſus rerum marinarum, humidarum, craſſarum, viſcoſarum.

κρέα τε καὶ πτηνῶν σάρκες, καὶ ὠὰ, καὶ εὔπεπτα πάντα, καὶ εὔχυμα τὸν αἱματικὸν, εἰ μή πως τὶς ἰδιότης μετατρέπει τὸ προσφερόμενον.

Et pedeſtriũ, & volatiliũ carnes, & oua, & quæ facilia coctu ſunt omnia, & que bonum ſuccum gignunt, ſanguineum humorem accumulant, niſi quædam naturæ proprietas in prauam aliquam qualitatẽ mutet ea, cum fuerint aſſumpta.



Vinque cauſas recenſet, earum quæ magnam ſanguinis copiam procreare ſolent. Quarum tres latiſsimè patent, ideoq́ue vt earum latitudo intelligatur, ad ſingula erit progrediendum, ac in tabella quadam vnumquodque veluti depingendũ. Vocabulum autem κρέα ſignificat anteriorẽ tibiæ partem tenuem, excarnem & inſigniter gibbam, quæ etiam græcis frequentius dicitur προκνήμιον & ἀντικνήμιον. Id quod ſignificauit Galenus in bello de oſsibus iis verbis. Quantum excarne & tenue in antica eſt tibia, ἀντικνήμιον appellatur. Sed hîc ſumitur, quaten' à κρέατος deſcẽdit. Per ꝙ exiſtimarẽ Galenũ intelligere carnes pedeſtrium animalium. Nam in libro de cibis boni & mali ſucci, vocabulum κρέας, & vocabulum σάρξ ita videntur diſtingui vt κρέας carnem porcorum ingredientiumq́ue alio

rum animalium, σάρξ verò carnem volatilium, & natantium significet. Quamquam à Galeno in eodem libro ita confunduntur, vt vtrumque aliquãdo pro genere: aliquando pro specie, interdũ pro volatilium, interdum pro ingredientium, interdũ pro aquatiliũ carne sumantur. Sed hîc, quemadmodum dixi, vocabulum κρέας positum esse videtur, vt carnes pedestrium, σάρξ verò, vt volatilium, (quod ipse Galenus indicat) significet. εὔπεπτα autẽ .i. coctu facilia, sunt ea omnia, quæ ventriculo aliisque corporis partibus, cum coquuntur, nullum negotium facessunt, sed calori in coquẽdo cedũt. εὔχυμα verò .i. alimenta boni succi, seu quę bonum succum gignunt, sunt in vniuersum quę leuibus tenuibusque partibus constant. Quæ secus habent, mala censentur. Qui vero sigillatim cognoscere cupit, quæ alimenta, qui úe cibi sint huivs vel illius naturæ, diligentissimè videat Galeni librum inscriptũ de cibis boni & mali succi, & libros de facultatibus alimentorum. Cur autem ea quę hic cõmemorantur omnia, magnam sanguinis copiam accumulent & gignant, vna eademque opera doceri potest, tum quia temperata sunt, quẽadmodum & sanguis (sanguinem autem temperatum esse docuimus initio) tum quia pauci excrementi & plurimum alimenti in se habent, tum denique quia nihil negotij calori coquẽti facessunt, cum tota substantia sua talia sint, quę bene possint coqui, & in bonum sanguinem mutari. Quod verò Galenus inquit, nisi quædã naturæ proprietas in prauam qualitatem mutet ea cum fuerint assumpta, est veluti quædam obiectionis occupatio. Nam il

facilia coctu quæ sint.

Alimenta boni succi

Cur carnes & facilia coctu plurimũ sanguinem gignãt.

gignũtur humores ex naturæ pprietate hominis, nõ ex natura alimentorum.

C. 21

la omnia ſanguineum humorem accumulāt,quotieſcunque à tēperato homine aſſumuntur.Si vero vel à pituitoſo,vel bilioſo,vel melancholico tēperamento,vel aliquo alio praua naturæ proprietate affecto capiantur, tantum aberit vt vertantur in ſanguinem,vt etiam in prauam aliquam qualitatem mutentur.Eſſe autem quandam naturæ proprietatem,vel bonam vel malam,quę ſola experiētia cognoſcitur , teſtatur Gal.in libro de arte medica, qui ait quoſdam aſpectu & habitu pituitoſo planè,bilem tamen largam genuiſſe.Quod non aliunde eueniebat niſi ex quadam naturæ proprietate,bilem procreādi.Quapropter ſi tales, ea quę ſanguinē gignunt,aſſumāt,ſi nō omnino,ſaltē magna ex parte in bilē mutabūt.Sed harū omniū cauſarum tabellam tertiā in fine libri depictā videas.

Naturæ proprietas cuiuſque.

Cap. 74.

ὡσαύτως καὶ τὸν μελαγχολικόν,

Similiter & humorum melancholicū quædam accumulant.



Auſas quaſdam eſſe , quæ humorem melancholicum augeant, admonet: quę verò illę ſint,nos minimè docet. Quocirca vt in ſuperioribus fecim⁹, ita hoc quoq;loco faciendū exiſtimamus . Quoniā autē ſuperius diſtinximus humorē nigrum à bile nigra ex Galeni ſententia,quāq̄ hic nomine melancholici vtrumque cōplectatur,idcirco primum cauſasnigri humoris,deinde cauſas nigræ bilis in tabellis inſpiciendas proponemus. Illas in tabella quarta in fine libri inuenies.

Cauſæ ortus & incrementi bilis nigræ

- Tēperamētū calidū & ſiccum, ſed magis quam quod ad bilē flauam gignēdam eſt idoneū, vel natiuum, vel acquiſitum ex bile flaua, & bilioſis cibis, & calidis, & ſiccis, & ex humore nigro vſto
  - Ventriculi,
  - Inteſtinorum
  - Venarum meſaraicarum
  - Hepatis
  - Lienis
  - Cordis
  - Cerebri
  - Totius deniq; corporis.
- AEtas declinans, iuuentuti ętatū bilioſiſsimę ſuccedens, & bilem retoridam excipiens.
- Naturæ proprietas. Quidam namque ex naturæ propietate quadam, magnam bilis nigræ copiam procreant.
- Tempus, vt autumnus, æſtati omnium tempeſtatum calidiſsimæ & ſicciſsimæ ſuccedens, & vſtam in ea bilem excipiens.
- Facienda
  - Motus
    - Animi, curæ diutiſsimæ, frequentiſsimæ, vehementiſsimæ, & ſimiles iræ, furores, cogitationes, dolores, impetus animi.
    - Corporis, Ambulationes longiſsimæ, vehementiſsimæ, frequentiſsimæ, & ſimiles ſaltationes, curſus, exercitationes denique.
  - Vigiliæ nimiæ.
  - Inedia longiſsima.
- Educenda, vt omiſſa conſuetudo ſpontanea vel medica bilem nigram vacuandi per hæmorroidas venas, deiectionem, menſes, vrinas, ſudores.
- Admouenda
  - Olea maxime calida & ſicca, quibus iungitur corpus.
  - Vnguenta ſimilia.
  - Aer ambiens calidiſsimus & ſicciſsimus.
  - Balnea aquarum maximè calefaciētiū & ſiccantium.

Sumenda talia ſunt qualia depinximus in tabella, quę continet cauſas ortus & incremẽti bilis flauę, quamquam hîc excellentia quædam & caloris & ſiccitatis deſyderatur. Cauſæ etiam & generantes & augentes humorem nigrum, poſſunt eſſe cauſæ tum ortus, tum incrementi bilis nigræ, adiuncta tamen quadam vſtione. Atque hæc de cauſis tum ortus, tum accretionis ſingulorum humorum ſpeciatim dicenda putaui. In quibus colligẽdis, Galenum cum multis aliis in locis, tum vel maximè in libris & de locis affectis, & de facultatibus alimentorũ, & de ſanitate tuenda ſtudioſè ſum imitatus, qui aut talia nobis reliquit, aut certè viam mihi aperuit, qua adiutus, hæc omnia quæ ſigillatim de cauſis humores generantibus dixi, literis mandarem.

ἀλλὰ δὴ καὶ συμπεπλεγμένως. κρθῶς καὶ ὅτε συμπεπλεγμέναις χρώμεθα ταῖς τροφαῖς, καὶ τὰ ἀκόλουθα ἕπεται.

Sed & ſi inter ſe miſceantur: Hoc enim modo cum mixtis inter ſe alimẽtis vtimur, & conſentanea illis conſequuntur.

Sĩplices cauſæ & quæ ſunt eiuſdem generis ſimplicẽ humorẽ & quæ mixtæ, mixtũ pcreẽt



ADmonitio quædam eſt. Cum enim ſeparatim cõmemoraſſet cauſas, quę gignũt ſingulos humores, hic admonet, ſi cauſæ illæ miſceantur inter ſe, non vnum aliquem ſimplicem hu-

morem,ſcilicet vel ſolum ſanguinem, vel ſolã bilem,vel alium talem conſequturum,ſed mixtum, qui tamen conſentaneus ſit illis cauſis inter ſe mixtis,id eſt,qui illis proportione reſpondeat. Quod ab alimentis ſumpto exemplo confirmat.Cum.n. comedimus,ſi quędam capiamus quę ſanguinem, & quædam quæ humorem nigrum , & quædam quæ pituitam gignunt,tunc ex illis profectò non generabitur vel ſolus ſanguis , vel ſolus niger humor,aut pituita, ſed quidam humor ex ſanguine, & humore nigro,& pituita mixtus. Atque hoc illud eſt quod ait, καὶ τὰ ἀκόλουθα ἕπεται.i.& conſentanea, proportionéque illis reſpondentia conſequũtur. Modi autem quibus cauſæ poſſunt inter ſe miſceri,penè innumerabiles ſunt,vt oratione cõphẽdi non poſsint. Nã cauſæ omnes in humore mixto generando,aut pares aut impares erunt:ſi pares generabitur mixtus humor,in quo ſanguis,pituita,bilis vtraque pares erunt.Sin verò impares,cauſæ bilẽ generãtes ſint vt quatuor,(exemplis arithmeticis res maximè perſpicuæ fiunt,) cauſæ ſanguinem gignentes ſint,vt tria,pituitam,vt duo,humorem nigrum,vt vnum, Humor profectò mixtus qui generabitur , illis proportione reſpondebit.Nam bilis in eo ad reliquos humores facta cõparatione,erit,vt quatuor, ſanguis vt tria , pituita vt duo,humor niger vt vnum.Eodemque modo ſi cauſæ gignentes ſanguinem ſint vt quatuor, bilem vt tria,pituitam & humorem nigrum vt duo, mixtus talis orietur humor,qui illis erit conſentaneus.In eo.n.erit ſanguis vt quatuor ,bilis vt tria, pituita & humor niger vt duo.Atque ita ferè infi

Modi mixtionis cauſarum innumerabiles ſunt.

Quæstio, an ex vno humore, constare posſit homo

nitæ poſſunt inter ſe confundi. Sed quæſtio quædam, ac illa quidem difficilis hoc loco exiſtit. Nã cum dicat ex mixtione cauſarum, mixtũ gigni humorem, quærere meritò quis poſſet, vtrũ ſimplicibus cauſis remanentibus, ſimplex gignatur humor. Quod autem quæritur tale eſt. Vtrum ſolis & omnibus cauſis bilem gignentibus vnà concur rentibus, ſola bilis gignatur. Similiter ſolis & omnibus cauſis generantibus ſanguinem, vna cõcurrentibus, ſolus oriatur ſanguis. Idem eſt de pituita & humore nigro quęrendum. Si res ita habeat, fieri poterit vt in vno aliquo ſit ſola bilis, in alio verò ſit ſolus ſanguis, vel ſola pituita, vel niger humor. Quare fieri poterit, vt ex vno duntaxat humore conſtet homo, nõ autem ex quatuor: quod Hippocratis & Galeni placitis apertè repugnat.

Solæ cauſæ vnius generis, non cõcurrũt ad alicuius humoris procreationẽ.

Ad hoc in defenſione, videtur primum negandũ eſſe, omnes cauſas vnius alicuius humoris procreatrices, ſimul concurrere poſſe, reliquis omnibus aliis relictis. Vix enim, aut ne vix quidem hoc fieri poteſt. Sed demus fieri poſſe, non ob id tamen efficitur, in homine fore vnum ſolum humorem.

Alimenta in ſe habent aliquid omnium humorũ.

Nam ea quę comeduntur alendi gratia, quamquã ſint vel pituitoſa, vel bilioſa, vel ſanguinea, vel melancholica, habent tamen in ſe aliquid aliorum humorum, etſi plus vnius, & minus alterius. Quo fit vt omnes in animantis corpore gignãtur humores. Verum ſi ſenſus iudicium ſequi vellemus, vnũ ſolum humorem in homine aliquando eſſe fateremur. Sunt enim ſecti hydropici quidam homines, in quibus nihil ſanguinis, nihil bilis vtriuſque, ſed ſolus pituitoſus aquoſuſque humor cerneretur.

Ad quod dicimus ſenſum falli. Nam tam exigua eſt aliorum humorum copia, vt à pituitoſo aquoſoque humore penitus obſcuretur. Non ſequitur tamen eos non ineſſe, quamquam ſenſu non percipiantur.

Αὔξει δὲ μειρακίῳ μὲν τὸ αἷμα.

Augetur autem in adoleſcentia ſanguis.



QVi humores, in quibus ætatibus augeantur ac floreant, explicare ingreditur, à ſanguine ducto initio, quem in adoleſcentia augeri, nos docet. Adoleſcentiæ autem tempus quod & quantum ſit, planè intelliges, ſi prius vniuerſè ac generaliter de ætatibus pauca quædam diſputauero, ſine quorum cognitione, animus tuus dubius ac infinitus ferretur. Dicam igitur primũ ſit ætas, deindę quot ſint, interim dubitationẽ quandã diſſoluens, vnde ſublata erit omnis ambiguitas. Ætas itaque eſt ſpatium temporis in viuente derelictum, in quo virtus vitæ ſecundum omnem ſuæ operationis modum perficitur, vt Albertus magnus in libro de iuuentute & ſenectute definiuit. Aut, ſi vis breuius, Ætas, quæ græcis dicitur αἰών, eſt ſpacium in quo animal creſcit, ſtat, decreſcit, & manifeſtè declinat. Ætates autem ſunt numero quatuor, adoleſcentia, iuuentus, virilis ſeu inclinans ætas, ſenectus. Quod Gale.

Ætas quid ſit.

Ætates quatuor.

quar.de ſalub.diæta confirmare videtur, vbi, quatuor illas primarum qualitatum coniugationes ętatibus hominum accomodat, vt ex quatuor illis coniugationibus, quatuor hominum ætates colligere videatur. In primo etiam aphoriſmorum ſic ſcripſit. Puerorũ verò corpus tale exiſtit, plus humidæ & aereæ ſubſtantiæ obtinens, non ſicuti, iu
uenum, & declinantium, ac ſenũ, ſiccæ atque ter- *aph.*
reſtris. Dubitatio autem quędam hoc loco exiſtit, 24.
cur faciamus quatuor tantum ætates, cum Gale- 25. 26.
num plures feciſſe conſtet. Nam Hip. tertio apho 27.

Queſtio de numero ætatum.

riſmorum, mentionem facit de recens natis puerulis: deinde de illis qui dentire incipiũt: deinceps de iis qui mediam ætatem attingunt, quæ ad duodecimũ annũ, & tertiũ decimũ, & quartũ decimũ ꝓgreditur, & eſt ętas ꝓxima pubertati. Quãtũ ad hoc attinet, reſpõdem⁹ has nõ eſſe veras ętates & ꝓprias. Sed quæ hic ex hipporcatis ſententia cõmemoratæ ſunt omnes, ſub vno pueritię nomine comprehenduntur. Pueritia autem incipit ab eo tempore, quo vterum matris infans egreditur, & ad decimum quintum vſque annum durat. Pubertas autem quæ eſt ſecunda, & græcis ἥβη nominatur, initium capit anno decimo quinto, & vſque

Pueritiæ tempus.

Pubertatis tempus.

ad vigeſimum quintum extẽditur, vt teſtatur Ga- *Com.*
lenus quinto aphoriſ. Sed hæc ex Hippocratis po 7.
tius quam ex Galeni ſententia eo in loco videntur dici. Nam Ga. eodem quinto libro, aphoriſmo. 9. ait adoleſcentiam eſſe à decimo octauo, vſque ad vigeſimum quintum, vnde colligi poteſt pubertatem incipere à .15. anno & durare vſque ad decimum octauum. Sunt ergo infantia pueritia, & pu

bertas, adolescentia, sunt item iuuentus, virilis seu declinans ętas, atque senectus. De quibus mox ordine disputabimus. Quare non quatuor, sed sex, imo etiam plures erunt ętates. Nam cum de senectute agam, tres esse senectutis species demonstrabo. Ad hoc breuiter dicendũ putamus, ætates quatuor esse genere, specie verò plures. Genere quidẽ sunt adolescentia, iuuentus, virilis ætas, senectus. Specie autem sunt, infantia, pueritia, pubertas, adolescentia, iuuentus, virilis ætas, senectus viridis, senectus media, senectus extrema. Sed quemadmodum senectus ambitu suo complectitur, senectutem viridem, senectutem mediam, & senectutem extremam, veluti genus species quasdam, ita adolescentia, quæ hic à Galeno appellatur μειρακίων, cõplexu suo continet infantiam, pueritiam, & pubertatem, & adolescentiam. Quapropter totum illud tempus, quod incipit ab egressu infantis ex vtero, & vsque ad vigesimum quintum extenditur, tempus adolescentiæ nominatur. Adolescentia enim sumitur speciatim, & generatim: speciatim, est tẽpus à. 18. vsque ad. 25. Generatim ab ortu vsque ad 25. vt dictum est. Genus autem hic non tam propriè sumitur vt dialectici faciunt. Atque meæ opinionis Auicennam defensorem habeo, qui prima primi de complexionibus ætatum, sic scripsit. Ætates omnes sunt quatuor, ętas adolẽtiæ quæ durat vsque ad trigesimum annum: ętas consistendi, quæ durat vsque ad quadragesimum, Ætas minuendi, cum virtus nõ amittitur, quæ est vsque ad sexagesimum annum: Et ætas minuendi cum manifesta virtutis imbecillitas est, quę durat vsque ad

Com. 7.

Ætates aliæ generales aliæ speciales.

Adolescentiæ tempus, quantum sit.

C. 3.

finem vitę. Hęc ille. Sed tamen hoc intereſt, quod ille vult adoleſcẽtiã extendi vſque ad trigeſimum, ego autem cum Galeno vſque ad vigeſimũ quintum. His ita conſtitutis, cũ Calenus hîc inquit, in adoleſcentia augeri ſanguinem, per adoleſcentiam intelligas totum illud tempus, à primo ſtatim ortus initio, vſq; ad vigeſimum quintum annum. Cæterum hic illud admonere volo, quod nos Galenus docuit tertio aphoriſmorũ inquiens. Neq; eſt vnus omniũ certiſsimus terminus pubertatis, ꝓpter calorem & frigus tẽperaturæ. Calidi enim citius, frigidi vero tardius pubeſcunt. Quod de aliis ætatibus dicendũ exiſtimo. Si enim non eſt vnus omniũ certiſsimus pubertatis terminus, profecto nec iuuentutis, nec declinantis ætatis, nec ſenectutis ob varias temperamentorum affectiones videbitur eſſe vnus omnium certiſsimus terminus. Illud etiam admonere volo, me non latere, à viris doctis penè innumerabilia de ætatibus, literis eſſe mandata. Sed ea tantũ & dixi & dicam, quæ & Hippocrati, & Galeno & veritati conſentanea videbuntur, & ad hoc noſtrum inſtitutum pertinere.

Ætatum non eſt certiſſimus terminus.

Com. 27.

Διὸ καὶ χαρίεντες οἱ τοιοῦτοι, καὶ μανικῶς περὶ τὸ παίζειν διακείμενοι

Quocirca tales iucundi ſunt, & inſano quodam amore erga res pueriles affecti.


Onsequutio hæc quonampacto ex superioribus efficiatur, non facile quisque cognoscere potest. Mihi tamen videtur effici, ex hypotesi sumpto hoc ꝓnũciato, sanguinei sunt iucundi, & insano quodã amore erga res pueriles affecti, atqui tales, id est, adolescentes sunr sanguinei: in adolescentia enim dictum est augeri sanguinem, adolescentes ergo sunt iucundi, lepidi, gratiosi, & insano quodam amore erga res pueriles affecti. Sanguineos autẽ esse hilares, facetos, comes, ridibundos, iucundarum rerum hominumque amantes, blandos, atque venustos, tibi persuasum erit, si illum Galeni librum imscriptum, Quod animi mores sequuntur temperamentum corporis, diligenter perlegeris. Nam hæc est sanguinis vis, natura, atque proprietas, vt tales efficiat eos, in quibus, reliquis humoribus dominatur. Verum si Galeni authoritate non sis contentus, sed rationem insuper & demonstrationem aliquam requiras: talis fortasse accomodata poterit esse. Phantasia corporea est, seu cum corpore coniuncta, vt in tertio de anima doctè ab Aristotele est explicatum. Quare à corporis temperamento pendebit, ita vt alio modo futura affecta sit phantasia in homine sanguineo, alio in bilioso, alio in melancholico, alio in pituitoso, quia aliud est temperamentum sanguineũ, aliud biliosum, aliud pituitosum. Sed de sanguineo primum dicamus, de reliquis verò tribus ordine suo loco dicemus. Sanguis itaque est temperatus, Quo fit vt temperati maximè di-

Sanguinei quales sint.

Phãtasia & phãtasmata sunt, pro vario corporis tẽperamento.

Adolescẽtes & sanguinei cur iucũdi sit

cendi ſint ſanguinei, ad reliquos tres comparatio ne facta: Similiter quæcunque exhalationes à ſanguine proficiſcentes, vel in ipſo capite exiſtentes, vel à partibus inferioribus ad illud elatę, temperatæ ita erunt, vt aliquid iucundum gratumq́ue perpetuò afferant, & phantaſmata omnia, quæ viſa latinis dicuntur, voluptatis iucunditatiſq́ue plena efficiant. Nam quemadmodum teſtatur Galen⁹ in fine ſecundi de cauſis ſymptomatum, vapor quidam ater in melancholicis hominibus ab intimo corpore erumpit, ferturq́ue ad caput, vbi animæ rationis participis arcem occupans, timorem, mæſtitiam, & mortis expectationem inducit, non ſecus ac quū nos ambiēs aer vaſtiſsimis tenebris fuerit obſcuratus nos perterrefacere ſolet, ita ab intimo corpore ſanguinei hominis ad caput ſcandit vapor quidam gratus, iucunditatiſq́ue plenus, qui blādos, iucūdos, ridibundos, ſimilibuſque modis affectos reddit homines: aut certè tale eſt temperamētum corporis, in quo phantaſia cogitatioq; reſident. Cęterum illud μανικῶς, quod inſanū quēdam amorem conuerti, non ſignificat ſanguineos planè eſſe inſanos, ſed ſignificat plus quam deceat ratioq́ue poſtulet, eos iocorum, facetiarum, iucundarumq́ue rerum omnium ac lepidarum eſſe amatores. Ob eamq́ue cauſam in primo ad Nicomachum Ariſtoteles dixit iuuenem non eſſe ciuilis ſcientiæ auditorem idoneum, eo quod animi libidinibus pareat. Cauſam autem eſſe exiſtimo, quia in hac ætate ſanguis feruet, ſpirituſque ſunt longè calidiſsimi & ardentiſsimi, minuſq; ratio polleat Illud verò περὶ τὸ παίζειν. Quod verti circa res pue-

Melancholici cur timidi.

C.7.

Adoleſcentes inſano amore teneri, quomodo ſit intelligendū.

C.3.

riles, ita intelligendum est, vt per res pueriles intelligamus non quasq; : sunt enim quędam nimis pueriles, quas ne sanguinei quidem sequũtur, sed eas quæ quamquam non sint nimis pueriles, sunt tamen indignæ viro authoritate graui, vt venari, piscari, choreas ducere, cantare, saltare, fidib' ludere, & alia pleraque similia. Animaduertendũ autẽ hoc loco est, cum sanguinei sint iucundi & hilares, posse intelligi vel ratione temperamẽti, vel ratione ætatis, vel ratione vtriusque. Si ratione temperamenti, non solum in adolescentia, verum etiam in iuuentute, virili ætate, & senectute hilares ac iucundi erũt: magis tamen in adolescentia quã in aliis ætatibus. Sin ætatis ratione, etiam is qui melancholico temperamento præditus est, in adolescentia erit hilarior, id est minus melancholicus q̃ in aliis ætatibus.

Res indignæ viro.

Iucundi & hilares ratione temperamenti.

Iucundi & hilares ratione ætatis.

χολὴ δὲ τῷ νεανίσκῳ, ὀργίλον αὐτὸν καὶ θυμώδη, καὶ πικρίαν παρασκευάζει.

Bilis autem augetur in iuuene, quem iracundũ, & animosum, & acerbũ efficit.



QVis humor in iuuentute augeatur, exponit, eumq́ue ait esse bilem flauam. Iuuentus autem initium capit anno vigesimo quinto, & vsque ad trigesimum quintum durat. Quod testatur Gale. 5. aphorismorum his verbis. Tem-

com. 9.

Iuuentutis tempus.

pus illud quod eſt à decimo octauo vſque ad trigeſimum quintum, non eſt vna ætas, ſi diligẽtius conſyderemus. Verum ea quæ eſt à decimo octauo vſque ad vigeſimũ quintum annum, adoleſcentium eſt: quæ autem ab hinc ad trigeſimum quintum, iuuenum. Hæc ille. Deinde Galenus, cum in iuuentute dixerit bilem augeri, qualemnam iuuẽtutem, iuueneſque ipſos efficiat, docet, nimirum iracundos, animoſos, atque acerbos. Bilioſi enim homines tales eſſe ſolent, vt copioſè explicatum à Galeno eſt in libro inſcripto, quod animi mores temperamentum corporis ſequuntur. Si autẽ cur qui bilioſi ſunt, ſint iracundi, demonſtrationẽ perſpectam habere deſyderas, hæc fortaſsis accommodata erit. Ponimus itaque primum phantaſiam & cogitationem cum corpore eſſe coniunctam, ab eoque pendentem, ſiue illud ſit cerebrum, vt Galeno, ſiue cor, vt Ariſtoteli viſum eſt. Phantaſia autem & cogitatio alio modo affectæ ſunt in temperamento bilioſo, quam in ſanguineo, aliiſque duobus. Bilis enim flaua hanc habere videtur vim, naturam, ac proprietatem, vt phantaſmata efficiat, referentia quandam iniuriam atque contemptum. Præterea temperamentum bilioſum quo cũ coniuncta eſt ipſa cogitatio, ita affectam reddit ipſam cogitationem, vt leuiſsima quaque de cauſa, iniuriam ſibi factam eſſe putet, cum nulla ſit facta: & ſi aliqua tamen ſit facta, eam tamen multo maiorem iudicat: vt exempli gratia ſi ſit iniura facta vt duo, eam vt cẽtum æſtimat. Adde quod bilis calida eſt & ſicca, igniſque naturã imitãs, ac ideo motu facillima. His ita conſtitutis iam nullo negotio docere

Iuuẽtus qualis ſit.

Iuuenes & bilioſi cur iracundi.

possum, biliosum esse iracundũ. Nã iracũdus is est, qui in irascendo modũ nõ seruat, id est, qui vehemẽti⁹ irascitur, q̃ debeat, & irascitur quãdo nõ debet, & quib⁹ nõ decet, & eius rei gratia cuius non oportet, & quibus de causis non cõuenit, cæterasque circunstantias omnes virtutem moralem perficientes, peruertit: de quibus egi copiosè in commentariis, quos in magna moralia Aristotelis conscripsi. Atqui biliosus; vehemẽti⁹ q̃ sat sit irascitur, & quando, & quibus, & cuius rei gratia, & quibus de causis non decet: efficitur ergo vt biliosi, siue tẽperamẽto naturali, siue ętate, quales sunt iuuenes, sint iracundi. Biliosi etiam, inquit Galenus, sunt animosi. i. pericula, eaque maxima, & quæ aliis hominibus essent timoris maximè plena, citò adeũt, ipsisque se exponunt, ob eam quidem causam, quia bilis, vt dictum est, facillimè mouetur, ac citissimè spiritus inflãmat, qui inflammati amplificantur cõtinuo, qui amplificati, extendũt neruos, qui extensi, extẽdunt singulas corporis partes, vt doctissime explicauit Aristoteles circa finem libri de communi animantium motu. Sed biliosos & iracundos esse animosos, id est, citò se periculis committere, accomodatissimè mihi visus est Aristoteles in septimo ethicorum ad Nicomachũ his verbis explicasse.

Iracundus quid sit.

Iuuenes & biliosi cur animosi.

C. 6. Ira parere illa quidem videtur quodam modo rationi, sed non attentè eam audit, more ministrorum & seruorum eorũ, qui præpostерè omnia obeunt, qui antequam omnia quę prę scribũtur audierint, abeũt, deinde officio desunt: Et ritu canum, qui priusquam cõsiderarint, sit ne is amicus qui pulsauit, allatrant. Sic ira, furore ac re

Ira paret rationi, sed non attentè.

pentino naturæ motu incitata, audit illa quidem rationem, sed pręscriptione non intellecta, ad supplicium se, vltionemq́ue conuertit. Hæc ille. Deniq;, Galenus ait iuuenes, & biliosos esse acerbos. C. 5. Acerbi autem ab Aristotele in quarto ethicorum ad Nicomachum definiuntur, qui cum irascũtur, diu irati sunt, ægreque placantur. Vnde existimarem vbi in textu, quem nunc explicamus, legitur πικρίαν, legendum esse πικρὸν. Sed hæc definitio repugnare videtur hisce, quę de bile dicta sunt superius à nobis. Nam dicebamus eam esse tenuem, & facilem motu, vnde sequi videbatur eam quoque facile posse comprimi atque sedari, ob eamq; causam facile posse biliosos placari. Ad hoc dicimus, quanquam bilis sit & suapte natura, & facta cõparatione ad tres reliquos humores, facile mobilis, ob idq́ue facile posit accendi & extingui, attamẽ magna est latitudo ipsius: alia enim est caſsior, alia tenuior. Quocirca quamquam omnis bilis poſsit facile moueri, ideoq́ue accendi facile, & facile extingui, quæ tamẽ craſsior, tardius, quæ autem tenuior, celerius extinguitur. Cum ergo hic Galenos iuuenes, & bilosos acerbos appellat, nõ quoscunque biliosos intelligit, sed eos in quibus paulo craſsior bilis inest: ij enim ægrè placãtur. Animaduertendum est autem quatuor esse genera eorum qui irascuntur, vt docuit Aristo. in quarto ad Nicomachum libro: Alij enim ab eodem dicuntur ὀργίλοι. i. iracũdi: alij πικροὶ. i. acerbi: Alij ἀκρόχολοι. i. extremæ bilis homines. Alij χαλεποὶ. i. sæui atque infensi. Quorũ duo priora hic attingit Galenus. Sed C. 5. ne quid in hac disputatione desyderetur, eos om-

Ira paret rationi, sed non attentè.

Acerbi homines qui sit

Obiectionis solutio.

Quatuor genera eorum qui irascũtur

nes breuiter definitione aperiamus. ὀργίλοι.i.iracun *Iracundi qui sint.*
C.21 di sunt(teste Aristotele),qui celeriter commonentur,& in quos non decet, & quibus de causis, & vehementius quam sat sit, sed facile ac citò etiam eorum ira desinit, quod in illis quidem est optimũ.Idq́ue eis propterea accidit,quia iram non retinent,sed statim animum explent(scilicet vltione vel verbis vel factis effecta) eo quod aperti sunt, (significantes iram suam)ob acutam illorum commotionem, deinde quiescunt.πικροὶ.i. acerbi sunt, qui cum irascuntur,diu irati sunt, ægréque placantur.Nam iram retinent: animũ autem si semel expleuerint,tum modus apponitur :vltio enim modum finemq́ue iræ adhibet pro dolore voluptatem efficiens.Atque hæc duo eorum qui irascuntur genera, hic à Galeno attingũtur.ἀκρόχολοι i.extremæ bilis homines sunt, qui nimium procliues sunt, & omni re facile concitãtur ad iracundiam, & quauis de causa,vnde etiã traxere nomẽ.χαλεποὶ i.sæui & infensi sunt, qui, quibus de causis minus rectum est irascuntur,& vehementius & diutius, quam ratio postulare videatur,nec redeunt in gratiam,nisi vltio aut animaduersio sit consecuta.

Acerbi qui sint.

Acrocholi qui sint.

Sæui & infensi,& difficiles qui sint.

Τῷ ὑπερβᾶσι δὲ μέλαινα.

In eo autem qui iuuentutem est egressus, nigra bilis abundat.



Visnã humor augeatur ac dominetur in declinãte ætate, quã hic ætatem quæ iuuentutem egreditur nominat, tradit, eum esse nigram bilem statuens. Idq́ue meritò. Nam quemadmodum autumno nigra bilis ꝑpterea vigere dicitur, quia æstatis tẽpore bilis flaua assari cęperit, & in nigrã mutari, quam excipit autũnus, vt Galenus tertio aphoris. nos docuit, ita iuuentutis tempore, bilis flaua veluti assatur à magno calore, & in nigrã mutatur, quã excipit virilis seu declinãs ætas. Intelligendum est autem, hanc ætatem, quemadmodum à græcis, ita & à latinis multis nominibus vocari solere. Nam hîc Galenus appellat ὑπερηβίην, id est, excessum ex iuuentute. In hac enim significatione Galenus hoc vocabulum videtur vsurpasse. Siquidem propriè significat excessum ex ephebis. Nam ὁ ὑπέρηβος, & ὁ παρηβηκὼς græcis dicitur is, qui ætatem puberem est transgressus. Quamquam etiam apud gręcos παρηβάω significat senescere, & transgredi iuuentutem. Insuper hæc ætas græcis dicitur ἀνδρία hoc est virilis ętas, seu, vt loquuntur, virilitas. Dicitur etiam Galeno παρακμαστικὴ, παρακμὴ, hoc est declinãs, quia vires in ea decrescere incipiant. Idq́ue tertio aphorismorum, vbi sic scriptum reliquit. Et quidem horum tẽperatura, (de iis qui ex iuuentute excesserunt loquens) plus atræ bilis habet, atque ideo in ea multi insaniunt, veluti ex anni temporibus in autumno. Sicuti enim hoc tempus frigidum existens, vstam excipit bilem, æstiuo tempore exassatam, sic declinantium ætas, iuuenilem, quæ ma

AEtas declinans excipit nigram bilem.

Com. 22.

AEtas declinans multis nominibus appellatur.

Excessus ex iuuentute.

Virilis ætas

AEtas declinans.

Com. 30.

ximæ æſtati eſt ſimilis, ſubſequitur. Hæc ille. Dicitur denique græcis καθέστηκμα, latinis verò ætas constans, & mediam inter iuuentutem nimirum ac ſenectutem Tempus autem declinantis ætatis plerique tradunt eſſe à trigeſimo quinto, vſque ad quadrageſimum nonum.

AEtas constans.
AEtatis declinantis tempus.

χείριστος οὗτος χυμὸς, καὶ ὅπου ἂν ὁρμήσῃ δυσκάθεκτὸς τυγχάνων, καὶ δυσμετάστρεπτος.

Atque peſsimus eſt hic humor, & in quamcumque parem impetum fecerit, retentu eſt perdifficilis, ac incommutabilis.



Omparatio eſt. Comparat enim humorem in declinante ætate vigentem, id eſt, nigram bilem cum reliquis humoribus, eamque omnium peſsimam tradit. Quod duplici ratione confirmat, altera ſumpta ab effrenata illius natura, quippe quũ ita effrenata ſit nigra bilis, vt ſi in aliquam corporis partem impetum fecerit, magna cum difficultate & vix, ac ne vix quidem, retineri poſsit. Altera ſumpta à vi & facultate reſiſtendi. Nam ita reſiſtit medicamentis adhibitis, vt planè incõmutabilis eſſe videatur. Reliqui verò humo-

Bilis nigra cur omnium humorũ peſsima.

res,non tanta cum difficultate retinentur, ſi magno cum impetu in aliquam partem ferantur,nec ita ſunt incommutabiles,ſi alteratione & coctione præparationéue egeant.Bilis ergo nigra humorum omnium peſsima iudicanda eſt. Quod de bile nigra dictū eſt,de omni bilis nigrę genere eſt intelligendum, ſiue bilis nigra gignatur ex aduſtione humoris nigri,ſiue ex aduſtione bilis flauæ,ſiue ex aduſtione vel ſanguinis vel pituitæ.Quamquam alia peior alia,eſt habenda. Quo enim bilis flaua eſt detrior humore nigro,eò bilis nigra quæ gignitur ex aduſtione bilis flauæ, eſt deterior bile nigra, quæ ex humoris nigri aduſtione procreatur. Idem dicendum eſt reliquos duos humores, tum inter ſe,tum cum aliis conferendo.Cur nigra bilis,ſi in partem aliquam impetum fecerit,retentu eſt perdifficilis? Huius rei cauſa intelligi poteſt ex iis,quæ in ſecundo de facultatibus naturalibus à Galeno ſunt prodita, nimirum quia bilis nigra C.5. ex ea aduſtione acquirit vim, terram fermenti & aceti acerrimi ritu eleuandi,& partes,quibus incubat,erodendo vlcerandi.Vt enim fex vini vſta carnem vrit,liquat,& corrumpit,ita bilis nigra.Cum igitur hæc epitheta ei tribuātur eleuare, erodere, radere,vlcerare,vrere,liquare, corrumpere,& in terra, ſi in eam effundatur, fermentationem & ebullitionē efficere,maleficā eſſe,acerrimā,& mordacißimam,cum inquam hiſce epithetis,& aliis ſimilibus à Galeno nigra bilis inſigniatur, profectò perſpicuum eſſe poteſt,cur cum in partem aliquā ruit,retentu ſit perdifficilis,nimirum,quia quamcumque corporis animalis partem offendit, eam

Omne bilis nigræ genus, peßimum.

Bilis nigra alia eſt deterior alia.

Bilis nigra cur vix retineri poſſit, ſi cum impetu feratur.

Bilis nigræ epitheta.

radit,erodit,vlcerat,liquat,corrumpit. Quocirca verè dixit Hippocrates in quarto aphoriſmorum, dyſenteria,ſi à nigra incipit bile,lethalis eſt. Cur nigra bilis eſt incommutabilis? ob eaſdem cauſas. Nā tanta ſęuitia,immanitate,acerbitate,atque (vt hoc illi attribuam nomen) crudelitate eſt predita, vt vix,aut ne nix quidem mendicamētis vllis poſſit commutari, & ad meliorem naturam deduci.

4. aph. 24.

Bilis nigra cur ſit incommutabilis.

Quod intelligi volo ſi fuerit planè abſoluta ac exquiſita. Quibus reſponſum eſſe poteſt, alicui interrogare cupienti, cur omnes qui virili ſeu declinante ſunt ætate, malè non habent,ſi in ea ętate vigeat nigra bilis,quę tam immanis & ſæua dicta eſt? An quia illa nigra bilis nō eſt abſoluta & exquiſita? Nam quamquam tempore iuuentutis bilis flaua aduratur,& in nigram cōuertatur,quam ita conuerſam excipiat ætas declinans, attamen talis bilis nigra non eſt abſolutè nigra,id eſt,ſęua & immanis,nec eſt ea cui tot,tantaque epitheta ſunt attributa,ſed eſt naturalis. Hîc enim agimus de ordine ætatum naturali. Quocirca bilis nigra per aduſtionem flauæ bilis effecta, duplex videbitur eſſe,altera naturalis, altera præter naturam. Naturalis eſt in iis qui declinantē ætatem agunt,dammodo ſecundum natura ſe habeant, quæ eos quidem efficit, verſutos,iniuriarum memores,implacabiles,vt mox explicabo, ſed nō efficicit eos manicos,elephanticos,cancro inquinatos,aut ſimilibus morbis, quos nigra bilis præter naturam gignere ſolet,affectos,qui non ſolum declinantem ætatem, verum etiam & iuuentutem,& ſenectutem,ob aliquam cauſam, inuadere

Ætas declinans cur malè non habeat à nigra bile,cum tam praua ſit.

Bilis nigra per aduſtionē flauæ,duplex

Bilis nigra naturalis.

Bilis nigra præter naturam.

ſolent, vt talis bilis nigra preter naturam cuiuis ę-tati moleſta eſſe poſsit, at bilis nigra naturalis, non niſi in declinante ætate videtur eſſe poſſe, ſed alio modo quã illa. Qua ꝑpter cũ Gale. cõparationem efficit inquiens, bilem nigram eſſe peſsimam omnium humorum, quia eſt, tum retentu difficilis, tum incommutabilis, hoc de bile præter naturam nigra videtur intelligendum. Si verò non adieciſſet illas duas rationes, etiam de bile nigra naturali intelligi potuiſſet.

ὑφαλόντε τὴν ἑαυτοῦ ἡλικίαν καὶ μνησίκακον, καὶ πως δυσδιόρθωτον ἐργαζόμενος.

Atque ipſius ætatem, verſutam, & iniuriarum memorem, & quodammodo implacabilem efficit.



Valem nam nigra bilis, ac illa quidẽ naturalis faciat eam in qua viget ætatem, nempe virilem, docet. Atque ait eam facere, verſutam, iniuriarum memorem, & quodammodo implacabilem. Verſutus is eſt, cuius mens celeriter verſatur. Quæ definitio colligi poteſt ex ſecundo Ciceronis de natura Deorum libro, vbi ſic ſcribit. Chryſippus homo ſine dubio verſutus & callidus. Verſutos appello, quo

Verſutus quid ſit.

rum celeriter mens verſatur. Huius opinionis Ariſtotelem habeo defenſorem, qui in fine libri de diuinatione quæ in ſomno exiſtit, talia ſatur. Melancholici propter impetum animi vehementiorem, vt qui eminus iaculantur, ſæpè collimant: ſimiliter quia cito animum mutant, facilè id quod principiis conſequens eſt, phantaſia complectuntur. Ex quibus perſpicuum eſt, veloces eſſe melancholicorum animi motus. Qui Ariſtotelis locus non poteſt intelligi de melancholicis, in quibus ambundat humor niger, ſiquidem hic frigidus eſt & ſiccus, ideoq́ue ad motum ineptus: quocirca talium animus tarde mouetur: Non de melancholicis in quibus abundat bilis nigra prętér naturam, quippe ij omnes inſanire videantur: de melancholicis ergo in quibus abundat bilis nigra naturalis, intelligatur neceſſe eſt, quemadmodum hic Galeni locus. Sed ſi bilis flaua eſt calida & ſicca, & motu facilis, quemadmodum bilis nigra naturalis per aduſtionem flauę bilis effectę, cur iuuenes nõ ſunt verſuti, in quibus illa abundat, quemadmodum ętate declinantes? An quia verſutum eſſe, eſt quidẽ eius mentem celeriter verſari, ſed cum aliqua ratione, prouiſione, ac calliditate? Iuuenum quidem mens celeriter verſatur, at non cũ prouiſione, calliditate, & aſtutia quadam, quod faciũt ij qui ſunt ætate declinante. Nam cum phantaſia & cogitatio ex temperamento pendeat, vt dictum eſt ſæpè, talis certæ eſt bilis nigræ naturalis, vis, proprietas, atque natura, vt efficiat cogitationem cito, & cum quadam calliditate atque aſtutia res ipſas verſantem, quod bilis flaua efficere

Melancholicorum animi citiſsimè mouentur.

Melancholici in quibus eſt humor niger.

Melãcholici in quibus eſt bilis nigra præter naturam.

Melancholici in quibus eſt bilis nigra naturalis.

Quæſtio, cur iuuenes non ſint verſuti, cum in eis ſit humor qui verſatur facile.

Ætas declinans verſuta.

non poteſt:alia enim eſt eius vis atque natura. Hi ergo qui ætatem declinantem traducunt,ſunt ver ſuti.Sunt etiam iniuriarum memores. Nam cum citò eorum animus mutetur,res eaſdem, vt inimi citias,ſępè voluit,&agitat.Quocirca eas in memo ria ferè ſemper habent.Quo enim quid ſæpius re petitur & agitatur,eo id altiorib⁹ radicibus in me moria imprimitur. Sed hoc modo non ſolum ini micitiarum,verum etiam aliarum omnium rerũ memores eſſent. An ego dicendum ſit quemad-modum hæc eſt vis & natura ſanguinis,vt iucun-dos, hilares,atque lepidos efficiat eos,qui ſangui-neo temperamento ſunt præditi,ita bilis nigrę na turalis illam eſſe naturã,vt eos in quibus viget,in-iuriarum memores & implacabiles efficiat? Non enim omnium rerũ certa cauſa afferri poteſt, ſed ſatis eſt aliquando,accidentia in certam quandam rerum naturam referri generaliter.

ÆEtas declinans iniuriarum memor.

ÆEtas declinans implacabilis.

ἔστι δὲ καὶ τῷ γέροντι φλέγμα,

Viget autem in ſene pituita.



Vis denique in ſenectute humor au geatur,exponit,atque eum aſſerit eſ ſe pituitam. Senectutis autem tres partes Galenus facit in quinto de ſa nitate tuenda iis verbis. Hæc verò dicta mihi ſunt de iis,qui mediam ſe

Senectutis tres partes et ſpecies.

Ca. vi.

nectutis ætatem agunt. Vtique nec ignoranti primam eius partem esse, quæ ὠμογερόντων .i. eorũ qui cruda viridiq; adhuc senecta sunt, dicitur, propterea quod adhuc obire ciuilia negotia possunt. Secundam autem, cui aptè nomen ipsum inditur, eo quòd ipsa sit de qua dicitur: Vt lauit, sumpsitque cibum, dat membra sopori Quod tamen in tertiam non conuenit, in qua Telephum grammaticũ bis terue mense lauari dixi. Propter enim virium infirmitatem, assiduum ij balnei vsum non sustinent. Accedit quod per habitus frigiditatem, mordacia ij excrementa non pariunt. Nominant eum qui ad hanc peruenit, græcè πέμπελον, sicuti aiunt, qui vocabulorum ætymologiis gaudent, ab eo quod est πέμπεσθαι τῦμ εἰς ἄδυ .i. mittendo in pompã quæ ducit ad manes. Hæc Galenus de tribus senectutis partibus. Qui verò vnicuique proprium tempus assignare voluerũt, dixerunt primę partis senectutis initium esse anno quinquagesimo, & durare vsque ad sexagesimum. Secundam verò incipere anno sexagesimo, & protendi in septuagesimum. Tertiam denique ordiri anno septuagesimo, & durare vsque ad vitæ finem.

Senectus viridis.

Senectus media

Senectus extrema.

Senectutis viridis tẽpus.

Senectutis mediæ tẽpus.

Senectutis extremæ tẽpus.

νωθρὰ ἡλικία αὕτη καὶ ληθαργικὴ καὶ κωματώδης.

Ipsa verò ætas pigra, obliuiosa, ac somnolenta est.

Senectus cur pigra.



QVibusnam qualitatibus senectus à pituita afficiatur, aperit. Quorũ omnium breuiter causas inuestigemus, & demonstrationes afferamus. Senectus itaq; ob frigus pigra videtur. Nã cũ a contrariis causis, cõtrarij effectus manare soleant, & calor in iuuenibus causa sit vt celeres sint in agendo, frigus ergo causa profectò erit, vt senes pigri in agendo ac lenti sint. In illis enim spiritus sunt calidiores, ideoque maximè faciles motu, quib⁹ celeriter amplificatis, neruos, & ob id reliqua membra celeriter distendunt, iisdemq́ue celeriter contractis, neruos ac reliqua membra magna cum celeritate contrahunt, vt præclarè docuit Aristo. in libello de communi animantium motu. In senibus verò spiritus sunt frigidiores, ob eãque causam contrarium in iis vsuuenit. Quocirca Cicero ad Herenium scribens inquit. Frigus pigrum dicimus, quia pigros facit. Et Galen⁹ (quod & nos quotannis videmus, cum frigore omnia obrigescunt) animantia quædã immobilia planè esse, cũ verò æstas viget, eadẽ ita agitari, vt furere videãtur, tradidit. Altera causa pigritię senectutis, pondus pituitosi humoris, qui in ea plurimus est, vt paulo post demonstrabo, potest esse. Nam quẽadmodum iuuenes natura sua agiles, si pondere aliquo opprimantur, tardè mouentur & agunt, ita senectus pituitosi humoris pondere oppressa, pigra euadit. Cur senectus sit ληθαργική, id est, obliuiosa dicamus, primum vocabuli etymologiam explicantes. λήθαργος est morbi genus, quod torporem latini vocant, estque inexpugnabilis penè dormi

Inuetus cur celer.

Pigritiæ senectutis duplex causa, scilicet frigus & pondus.

Senectus cur obliuiosa

Lethargus quid.

endi necessitas, vt scribit cornelius celsus libro tertio, dictum ἀπὸ τῆς λήθης, id est, ab obliuione. Hoc enim morbo correptis, omnium rerum obliuio accidit, vt verbis nulla suppeditetur materia. Hinc etiam nomen nactum est. λήθη enim, vt dixi, obliuio est, ἄργη verò captura, vel ἀργὴς iners, vt λήθαργος non sit aliud, nisi iners obliuio, aut malum obliuionem adducēs, Fit autem à pituita posteriores cerebrum vētriculos, in quibus memoria residet, occupante, eademq́ue putrescente, teste Galeno libro decimotertio de methodo medendi. Sed in senibus secundum naturam se habentibus, pituita non putrescit. His ita constitutis iam facile explicatu erit, cur senectus sit obliuiosa. Siquidem instrumentum, in quo sedem habet ea, siue facultas, siue virtus, siue habitus, qui dicitur memoria, debet esse moderate siccum. Quare si nimis humidum sit, non erit memoriæ conseruandæ idoneum, vt prestantissimi Aristotelis interpretes, in libello de memoria & reminiscentia tradunt, propterea quod si maximè sit humidum, maximè fluxum erit, ideoq́ue vt aliquid in eo imprimatur ineptum. Quemadmodum ergo si quis in aquam sigillum aliquod imprimere velit, quamdiu quidē sigillum in aqua retinet, tandiu in ea sigilli simulacrum inest: cum verò ab ea sigillum amouerit, continuo sigilli imago deletur, ob fluaxam fugacemq́ue eius naturā, ita quādiu rebus sensilibus pręsentibus species earū ad memoriā senum mittuntur, tandiu in ea manent: vbi verò res sensiles amotæ fuerint, earum species fluunt, ac memoria excidunt, ob fugacem cerebri naturam, ta-

Cap. 20.

Lethargus vnde dicatur

Lethargus vnde fiat.

Memoriæ instrumentum quale esse debeat.

Quæstio cur pleriq; senes memoria valent.

lem effectam à pituitoso humore, illud occupāte. Verum ne credas tam fugacem esse, quemadmodum ipsa est aqua. Sed dices plerique admodum senes memoria plurimū valent, senectus ergo nō videbitur esse obliuiosa. Respondendum censeo senectutem plerumq; esse obliuiosam, quoniam est pituitosa, & vnumquodque spectandū esse ex eo quod plerumque eueniat. Raro autem euenit, vt senes, ij nimirum, qui tertiā senectutis partem traducunt, memoria valeant. Et si qui valeant, hoc in optimum temperamentum, aut in optimam victus rationem erit referendum. Illud autem hoc loco animaduertas velim, cum Galenus dicit senectutem esse lethargicam, ita etiam posse intelligi, vt sit obnoxia ei morbo, qui lethargos nominatur ob pituitæ copiam, quemadmodum Hyppo. 3. aphorismorum dixit, senes apoplexia corripi solere, vltima præsertim hyemis parte, quę ad veris naturam nonnihil accedit: quòd tum à calore, qui incipit crescere, pituita in cerebro diffundatur adeò, vt quæ ad illud vsq; tempus exiguum locum occupauit, nunc propter fusionem, omnes cerebri ventriculos oppleat ac obstruat. Denique dicamus cur senectus sit κωματώδης. i. somnolenta. κῶμα est somnus à quo quis ægrè & difficulter excitatur vt testatur. Gale. lib. 3. Epidemiorū, & 2. aphorismorū, nō autem simpliciter est longus somnus latinis dicitur sopor, aut profundus somnus. Somni autem, & profundi somni Galenus causam attulit in in primo de causis symptomatum iis verbis. Cerebrum cum à multa functione quiscere vult somnum animali naturalem inducit præser-

apho. 31.

Senectus cur somnolenta.

Com. 3. Com. 2.

Sopor quid.

Somni causæ

Ca. 8

tim vbi altrix in ipso facultas, humiditate fuerit instaurata. Si vero à frigida humiditate, ac ea quidē multa grauetur, veternosum, lethargicumq́; somnum, atque alios huiusmodi morbos inducit, quorum omnium summa, in frigiditate & humiditate consistit, siue quælibet separatim, siue ambæ simul coeūte ipsum infestē. Hęc ille. Ex quibus perspicuum est, Galenū causam somni profundi, referre, aut in frigus, aut in humorem, aut vtrumq; summum. Cum ergo cerebrum senum natura sit frigidum, & à magna quoque pituitæ copia, quæ frigida humidaque existit, opprimatur, profectò
apho. 31. rationi consentaneum est, senectutem esse somnolentam. Sed mihi oppones Hippocratem in tertio aphorismorum vigilias senectuti attribuentem. In defensione dico Hippocratem non de omnibus sed de quibusdā intellexisse, nō de iis qui tertiam senectutis partem labuntur, vt hîc intelligendum est, sed de iis, qui vel primam vel secundam. Quod indicat Galenus illum locum sic explicans. Plures ipsorum senum, (neque enim omnes) continuo vigilant, quod eis accidit, quia senectus plena curarum est, & pręterea corpus habent exiccatum, vnde & tunc magis vigilare contingit, quando integra sanitate fruūtur. Vide quæ sequūtur. *Obiectionis solutio de vigiliis senum.*

ὑγρὰ γὰρ καὶ ψυχρά. ὥσπερ ἡ παρηβῶσα ξηρὰ καὶ ψυχρά, καὶ ἡ μειρακιώδης θερμὴ καὶ ὑγρά. καὶ τῶν νεανίσκων ἡ τοῦ ἀναλογοῦντος χυμοῦ καὶ ἀμείνονος.

Humida enim eſt, & frigida, quemadmodum ætas declinans ſicca & frigida: & adoleſcentia, calida & humida: & iuuentus pro humore proportione reſpondente, atque ſuperante.



Vodnam temperamentum cuique ætati ſit attributum, paucis oſtendit. Probat ergo argumento ſumpto à temperamento ſenectutis, ipſam eſſe pigram, obliuioſam, ac ſomnolentam. Cuius tractatio talis eſſe poteſt. Senectus eſt frigida & humida, ergo ſenectus eſt pigra, obliuioſa, ac ſomnoléta. Antecedens huius enthymematis, ſimilitudine munit hunc in modum. Quemadmodum adoleſcentia eſt calida & humida, & iuuentus calida & ſicca, & declinans ætas frigida & ſicca, ita ſenectus eſt frigida & humida. Conſequens verò planum eſſe poteſt ex ſuperioribus, cum docerem, cauſas, cur ſenectus ſit & pigra, & obliuioſa, & ſomnolenta. Verum à ratione alienum non puto, ſi inueſtigetur an vera ſint quæ de temperamentis ætatum hoc loco dicuntur. Quæramus ergo, omnium demõſtrationes afferentes. Ac primum adoleſcentiam calidam & humidam eſſe, ex ipſa membrorum inflexione perſpici poteſt

Adoleſcentia eſt calida & humida.

Nam cum matris vterum egrediuntur infantes (docuimus enim ſuperius, adoleſcentiam

ambitu ſuo complecti & infantiam, & pueritiam, & pubertatem) eorum membra obſtetrices ita inflectunt, quaſi cerea ſint, nihil autem inflecti poteſt, niſi ſit humidum: & ſenſu tactus infantes calidos eſſe percipimus, adoleſcentes ergo calidi erunt & humidi. Deinde ex rebus ex quibus conſtant, idem poteſt doceri. Prima enim eorum in vtero conſtitutio ex ſemine & ſanguine conſtat, quæ res calidæ ſunt & humidæ, quarum naturam retinemus tũ, cum in lucem prodimus. Denique ab incremento: nihil enim lege naturæ augetur, quod non ſit calidum & humidum, adoleſcentia ergo calida & humida exiſtimanda eſt, cum qui eam traducunt, eos augeri nemo non cernat.

Quas rationes à Galeno in ſecundo de temperamentis ſum mutuatus. Quem locum videas, ſi diligentiſsimam huius rei confirmationem habere
C.2. cupis. Cum res ita habeat, certè hic locus mendoſus erat. Nã legebatur μειρακιώδης θερμὴ καὶ ξηρὰ id eſt adoleſcentia eſt calida & ſicca, cum tamen Galenus, Hippocrates & prȩſtantiſsimi quique medici eam calidam & humidam ponant. Præterea paulo ante Galenus ſtatuit in adoleſcentia augeri ſanguinem: quem calidum & humidum ſuperius fecit. Inſuper ſi adoleſcentia eſt calida & ſicca, qualis erit iuuentus, in qua viget bilis flaua, quam calidam & ſiccam eſſe, apertè conſtat? Sed illud animaduertas diligenter, cum longum ſit tempus adoleſcentiæ adſcriptum, (dixi enim eam ordiri ab ipſo ſtatim ortu, & durare vſque ad vigeſimum quintũ annum) non quauis eius temporis parte eſſe æquè

Error codicis græci.

calidam & humidam, ſed quo ortui eſt propior, eo eſt calidior & humidior: quo verò eſt ab eo remotior, & iuuentuti propinquior, eo eſt minus humida, minuſque calida, calore ſcilicet halituoſo atque ſuaui. Nunc de iuuentute dicamus, quam calidam & ſiccam eſſe, multis Galeni teſtimoniis, in ſecundo præſertim de temperamentis exiſtentibus confirmare poſſē, ſed illis omiſſis, breues quaſdam demonſtrationes afferamus. Ac primum iuuenes calidos eſſe, ſenſu tactus percipimus. Deinde cum celeres veloceſque ſint in agendo, calore præſtent neceſſe eſt. Siccos vero eſſe hinc poteſt intelligi, quia in adoleſcentia eſt plurimum caloris, qui toto eo adoleſcentiæ tempore in ſanguinem agit, tenuiorem ac pinguiorem ſanguinis partem in bilem conuertens, quam calidam ſiccamque eſſe perſpicuum eſt omnibus. Quo fit, vt calida ac ſicca futura ſit ea ætas, in qua bilis dominatur. Quapropter eadem ratione demonſtrauimus, & in iuuentute bilem flauā abundare, & iuuentutem eſſe calidam & ſiccam. Gale. etiam tertio aphoriſmorū eam æſtati calidę & ſiccæ ſimilē facit. Alia plera eiuſdē authoris teſtimonia ſtudio breuitatis p̄termitto. Cū itaq; & adoleſcētes, & iuuenes ſint calidi, inquit Galenus in. 2. de tēperamentis à doctiſsimis viris inueſtigatum eſſe, vtri eſſent calidiores, atque rem hanc explicatu eſſe difficilem, propterea quod vtrinque ſunt paria momenta rationum. Quas hîc recitare nolo ſed tuipſe in citato loco, à Galeno commemoratas, videas. Quid igitur hac de re mihi videatur ſentiendum, paucis abſoluam, ſumptis tribus hy-

Iuuentus calida & ſicca

Com. 30.

Quæſtio vtri ſint calidiores, an adoleſcentes, an iuuenes.

C. 3.

pothesibus. Prima, iudicium caloris esse ipsius tactus. Quod ideo dico, ne iudicium caloris menti attributum, inde innumerabiles quęstiones nascā tur. Altera calorem notis quibusdam cōtrahi posse, vt dicatur calor acer, mordax, tristis, feriens, vel suauis, iucundus, blandus, halituosus. Tertia calorem posse coniungi & cum humiditate, & cū siccitate, si cum siccitate mordacior acriorq; existit, sin vero cum humiditate blandior. His ita constitutis, dicendum videtur, adolescentes esse calidiores iuuenibus, & iuuenes esse calidiores adolescentibus, sed alio atque alio modo. Nam adolescentes sunt calidiores iuuenibus calore suauiore, iucundiore, blandiore, & magis habituoso. Iuuenes autem adolescentibus sunt calidiores calore acriore, mordaciore, molestiore, & magis feriente. Quod non solum experientia comperies, verum etiam ratione. Experientia quidem, si adolescētē aliquē tangas, senties illius calorem mitem, suauē, ac blandum. Si eumdem tetigeris cum ad iuuentutis tempus peruenerit, illius calorem senties acriorem, ac mordaciorem. Ratione autem quia calor cum humiditate coniunctus, est mitior & blandior, qualis est in adolescentibus, quos calidos & humidos demonstrauimus, calor verò cum siccitate copulatus, est acrior & mordacior. At conclusum superius est, iuuenes calidos esse & siccos. Atque hoc est quod Galenus in contextu ait, cum inquit, iuuentutem esse, pro humore, proportione respondente & superante, id est tale esse temperamentum eius, qualis est humor qui in iuuentute dominatur. Dominatur autem flaua bilis calida & sic

Adolescentes quomodo sint calidiores iuuenibus

Iuuenes quomodo sint calidiores adolescentibus.

Ætas declinans frigida & sicca.

ca. Calida ergo & sicca iuuentus existimanda est. Nunc de declinantis ætatis temperamento disseramus. Hanc autem ætatem frigidam & siccam esse, hîc Galenus testatur. Hippocrates etiam in primo de vict⁹ ratione, talia posteritati reliquit. Vir, vbi iam corpus eius constiterit, frigidus & siccus est, Quòd nimirum caloris excessus impetus úe non amplius præpolleat, corpusúe quiescens augeri desinat, ac frigidius factum sit. Siccitas etiam prioris ætatis inest. Quum Hipp. dicit virum, indicat virilem ætatem, at hanc declinantem appellari diximus. Hanc sententiam sequutus est Galenus cum multis aliis in locis, tum vel maxime in tertio aphorismorũ. Diuturniora (inquit) in declinãtibus, ventris profluuia contingunt, propter alimenti distributionis defectum. Nam omnium ferè ætatum, ea quæ iam declinat paucis indiget ad corporis resumptionem: siquidem & id quod ex ipsis resoluitur, paucissimum est. Neque enim corpus similiter calidum sicuti prius, neque amplius in augmentum quicquam absumitur: sed neque virtute contentiua satis imbecilli, sicuti in senibus plus aliquid ex corpore defluit. Hæc ille. Verum quomodo sunt frigidi & sicci declinantes ætate, cum eos tactu calidos esse percipiamus, & in agendo celeres, quod non nisi à calore proficisci potest? Breuiter dicimus eos frigidos & siccos esse, non quidem simpliciter, sed comparatione facta ad iuuentutem & adolescentiam, comparatione verò senum sunt paulo calidiores & ficciores. Si autem, non ad alios facta comparatione sed per se & natura sua spectentur, qualesnam dicendi e-

Com. 30.

Quæstio, cur ætate declinãtes sint frigidi, cum sentiãtur calidi.

Quæstio de temperamento ætatis declinantis per se spectatæ

runt? An paulo frigidiores & ſicciores? Nam minui incipit calor, & humidum innatum conſumi. Sed hoc loco quæſtio magna exiſtit, propterea quòd hiſce quæ dicta ſunt, non ſolum Galeni in tertio aphoriſmorum authoritas, verũetiam ratio ipſa repugnat. Inquit enim Galenus. Nam ex aduſtione & algorib⁹, & humi cubatu, & vigiliis, atque repletione pluſquam illi offenduntur, (de ætate declinantibus loquitur) & horum quidem temperatura plus atræ bilis habet, atque ideo in ea multi inſaniunt, veluti ex anni temporibus in autumno. Sicuti enim hoc tempus frigidum exiſtens, ruffam excipit bilem æſtiuo tempore exaſſatam, ſic declinantium ætas iuuenilem, quæ maximè æſtati ſimilis eſt, ſubſequitur. Ratio autem hiſce Galeni verbis conſentanea eſt maximè. Nam dictum eſt ſuperius bilem nigram ex aduſtione bilis flauæ genitam, eſſe calidam & ſiccam, ſed quemadmodum autumnus excipit bilem æſtiuo tempore aſſatam, ideoque in nigram conuerſam, ita ætas declinans excipit bilem flauam aſſatam tempore iuuenili. Ex quibus certè efficitur, vt ætas declinans calida & ſicca dicenda videatur: atque etiam eò calidior iuuentute & ſiccior, quò bilis nigra per aduſtionem flauæ, eſt calidior & ſiccior ipſa flaua. Hanc difficultatem tollemus, ſi ætatem declinantem frigidam & ſiccam defendere velimus, poſitis quibuſdam hypotheſibus. Prima, hìc diſputari de ætatibus, ętatumque mutatione, naturæ lege effecta, eodemque modo de humorum mutatione. Secunda, duplicem eſſe nigram bilem, alteram naturalem, alte

Com. 30.

Rationes probantes ætatẽ declinantem calidam & ſiccam.

Bilis nigra duplex.

ram preter naturam. Bilis nigra pręter naturam, radit, erodit, vlcerat, Nam prauam quandam qualitatem erodēdi, vlcerandi, & mille mala agēdi acquisiuit, vel ex adustione nimia, eaque effecta à calore pręter naturam, à quo accipit illam vim adurendi, vel ex putrefactione. Bilis verò nigra naturalis nec radit, nec vlcerat, nec aliud quid tale malum agit, propterea quod talē prauam agendi qualitatem nec ex putredine acquisiuit, nec ex adustione caloris pręter naturam. Nam quamquā nigra efficiatur à calore naturali, hic tamen non est ita affectus, vt posit in eam immittere vim quandam radendi & adurendi. Hoc enim facit solum vel calor pręter naturam, vel putredo accedēs. His hoc modo positis, doceamus primū rationibus declinantem ætatē esse frigidam & siccam, deinde superiores obiectiones dissoluemus. Ac primum siccam esse dubitari non debet, quippè cum, bilem nigram effectam ex adustione caloris naturalis, siccam esse, fateantur omnes. Ætatem verò declinantem frigidam esse hinc potest intelligi, quia bilis nigra naturalis effecta à calore naturali, non habet vim calefaciendi & adurēdi, quemadmodum habet bilis nigra pręter naturam effectam vel à calore pręter naturam, vel à putrefactione: idcirco calida esse non potest ætas declinans, ratione bilis nigræ naturalis. Nec ratione caloris innati. Nam calor innatus perpetuò agit in humidum ingenitum, quo vigente calor innatus conseruatur, deficiente verò, calor innatus imminuitur. At humidum, vt dicunt, radicale, ætate declinate defecit, ꝑpterea quod magna ex parte à calore innato ab-

Bilis nigra præter naturā vnde prauitatem suā habeat.

Bilis nigra naturalis nō est praua.

Ætatē declinantem frigidam & siccā esse, rationibus confirmatur.

Ætas declinans nō est calida nec ratione bilis nigræ, nec ratione caloris innati.

ſumptum eſt, calor ergo innatus plurimum immi nutus ſit neceſſe eſt. Quapropter ętas declinans nec ratione bilis nigræ naturalis, nec ratione calo ris innati, calida dicēda erit, ſed frigida & ſicca potius, comparatione tamen ad iuuētutem & adole ſcentiam facta. Non diffiteor tamen bilem nigrã naturalem, inflammari poſſe, vel à calore præter naturam, vel à putredine. At, vt poſitum eſt, de æ-tatibus & humoribus, ętatumque ac humorũ mu tatione, & etiam hominibus ſecundum naturam ſe habentibus, hoc loco diſputamus. Iam facile e-rit diſſoluere illud, quo probabatur ætatem declinantem eſſe calidam & ſiccam. Cum enim diceba tur, quemadmodum autumnus excipit nigram bi lem effectam aſſatione ex flaua tempore æſtatis, i-ta ætas declinans excipit bilem flauam aſſatam & in nigram conuerſam tempore iuuenili, hoc verũ eſt, ſi rectè intelligatur: cum verò ſumebatur, bilem nigram eſſe calidam, & ſiccam, hoc verum eſt de bile nigra pręter naturam, falſum verò de bile nigra naturali. Bilis.n.nigra pręter naturam calida eſt & ſicca, non bilis nigra naturalis, vt demonſtra tum eſt. Declinans ergo ętas excipit bilem nigram naturalem, non autem pręter naturam. Ponitur e-nim ex hypotheſi, hominem ſemper ſecundum naturam ſe habere. Cum itaque ætas declinans ſit ſicca quemadmodum iuuētus, vtra ſiccior exiſtimanda eſt? Ætas declinans: tum ratione humorum, tũ ratione partium ſolidarum. Humorũ qui dem ratione, propterea quod bilis nigra naturalis, quę in declinante ætate dominatur ac viget, eſt ſiccior flaua bile, cum ſit magis aduſta. Ratione

Rationũ ſuperiorum ſolutio.

Ætas declinans eſt ſiccior iuuentute ratione humorum.

Aetas declinans est siccior iuuentute rōne partium solidarū.

partium solidarum, quoniam in iis est minor humidi ingeniti copia, cum à calore innato absumptum sit, quam in partibus solidis iuuenum. Perspicuum est ergo, quomodo ætas declinans frigida & sicca sit dicenda. Ex quibus intelligi potest, ex humore nigro qui est frigidus & siccus, eam frigidam & siccam non esse dicendam. Siquidem quonampacto talis humor in ætate declinante abundet, non potest facile explicari. Sequitur deinceps vt de senectutis temperamento breuiter agamus. Eam hic Galenus frigidam & humidam facit. In secundo autem de temperamentis frigidam & siccam, reprehendens vehementer veteres, qui eam frigidam fecere & humidam. An ergo Galenus pronunciata pugnantia nos docuerit? Dicendum est senectutem duobus modis spectari posse, vel ratione partium solidarum, vel ratione excrementorum: Si ratione partium solidarum, frigida & sicca ęstimanda est: sin vero excrementorū ratione, frigida & humida: Quotiescunque ergo Galenus ait senectutem esse frigidam & siccam, partes solidas spectauit. Quandocumque verò eam frigidam & humidam asseuerat, ratione excrementorum intelligendum est. Et cum veteres reprehendit, ob eam causam id facit, quia senectutem frigidam & humidam statuerunt per se & sua natura, & partium solidarum ratione, non autem ratione excrementorum. Ratione verò partium solidarum siccam esse, hinc potest intelligi, quia humidum illud innatum quod reperiebatur in eis, à calore absumptū est. Quod autem humidum est, & eius humor absumitur, siccum euadat

Aetas declinans nō est frigida & sicca ob humorē nigrum.

Senectus frigida & humida.

Senectus spectatur duobus modis.

C.3.

Senectus cur sicca.

neceſſe. Siccæ ergo erunt omnes ſenum ſolidæ partes. Quare & frigidæ. Nam humidum inſitum natura, eſt caloris innati alimentum. Quo tempore igitur eſt magna illius humidi copia, eo eſt magna copia caloris, vt in iuuentute & adoleſcentia. Quo verò tempore minima eſt eiuſdem copia, eo eſt minimus calor: atqui ſenectutis tẽpore humidi natura inſiti eſt minima copia, cum ferè omni ex parte à calore innato abſumptum ſit, tempore ergo ſenectutis minimus erit calor, Quare frigida. Senectutem autem ratione excrementorũm humidã eſſe, Gal. in. 2. de tẽp. ob id docet quia ſenũ oculi lachrymis ſuffũdũtur, nares deſtillatione manant, in ore eorum ſaliua exuberat, tuſſiunt, pituitam excreant, venter pituita eſt plenus, articuli muccoſi. Quæ omnia ob id eueniunt, quia quum particula quæuis ſiccior exiſtat, per caloris imbecillitatem non nutritur, quoniam deficiente calore, deficit quoque attrahendi facultas, quod in cauſa eſt, vt copia humidi excrementi, foris cuiq; particulę ſuperfluitet. Eſt ergo humidus ſenex non propriis ſuis particulis, ſed excrementis. Rurſus ſiccus, non excrementis, ſed particulis ipſis. Ita nimirũ alio genere ſicc⁹ & alio humidus. Verũ nõ eſt p̃ſẽs de excremẽtis ei⁹, ſed de ꝓpriis partib⁹ diſceptatio: quarũ ſecũdũ naturã actiones, vitã eius cõplẽt. His igitur ſicc⁹ eſt ſenex, quib⁹ ſcilicet puer eſt humid⁹: ipſis nimirũ ſolidis corporis particulis, oſſibus, mẽbranis. Quæ ſequũtur videas diligẽter. Cũ ergo excremẽta quibus ſenectus opprimitur, non ſolum ſint humida, ſed etiam frigida, pituitoſa enim ſunt, certè alio modo ſenectus frigida erit habenda. Idcirco ſenectus duobus modis

Senectus cur frigida.

Senectus cur humida.

Senectus dupliciter frigida.

frigida erit, vno quidem, ratione partium solidarum, cum earum calor ferè extinctus sit, absumpto illius alimento, humido scilicet natura insito. Altero, ratione excrementi frigidi, quod singulis particulis circunfusum est, vel in eis quidem existens. At vno modo solum est humida, humore nimirum excrementitio, cũ humidi primogenij exigua portio insit in ea. Senectus ergo erit frigida, sicca, & humida. Cum itaque sit frigida quẽadmodũ ætas declinãs, vtra frigidior erit habẽda? Senectus: vt enim in hac est minor humidi naturalis copia, ita minorẽ esse caloris copiã existimãdũ est. Imò vt quod res est dicamus, senectus non frigidior, sed maximè frigida, &, (vt ita loquar) frigidissima est iudicãda. Eodem modo cum senectus sit sicca quemadmodum iuuentus & ætas declinans, an hisce sit siccior? Senectus ratione partium solidarum, est siccior & iuuentute & declinante ętate, cum in ea fere omni ex parte humidum insitum natura, sit absumptum, non autẽ in his. At ratione humorum iuuentus & ætas declinans sunt senectute sicciores, quippè cum in iuuẽtute sit bilis flaua quæ sicca est, & in ætate declinante bilis nigra naturalis, quæ adhuc paulo est siccior. At in senectute nullus humor qui siccus sit abundat.

Senectus vno solum modo, humida.

Senectus frigidior declinante ætate.

Senectus siccior iuuentute & declinãte ætate.

Senectute sicciores iuuentus & ætas declinas.

Cur quemadmodum declinans ętas excipit bilem flauam assatam in iuuentute, ita senectus non excipit bilem nigram naturalem, quæ est sicca, ita vt senectus ratione humorum sicca quoque non dicatur? An quia ætatis declinantis tempore, bilis illa nigra naturalis consumatur exhalationibus, & aliis multis modis? Et si quãdam illius particulam

Senectus cur nigram bilẽ non excipit à declinante ætate.

ratur ab amplißima pituitoſi humoris copia. Denique ſi ſenectus eſt humida quemadmodum adoleſcentia, vtra humidior? Vtraque alterutra eſt humidior. Sed ſenectus eſt humidior adoleſcentia, humido excremẽtitio & aſcititio. At adoleſcẽtia eſt humidior ſenectute, humido natura inſito.

Senectus humidior adoleſcentia.

Adoleſcentia humidior ſenectute.

τόποι δὲ αὐτῶν γεννήσεώς τε καὶ διαμονῆς καὶ κινήσεως, αἵματος μὲν ἧπαρ καὶ φλέβες, καὶ ἀμφότεραι τῶν ῥινῶν.

Loci autem & ortus, & permanſionis, & motus ipſorum, ſanguinis quidem ſunt hepar, venæ, & ambæ nares.



TRes quæſtiones de vnoquoque humore explicat, à ſanguine exorſus. Prima eſt quis ſit loc⁹ ort⁹ ſanguinis. Altera, quis ſit locus permanſionis ſanguinis. Tertia, quis ſit locus motus eiuſdem .i. locus per quem mouetur, & expurgatur ſanguis. Et cum tria verba ſubiungat, nimirum hepar, venas, & ambas nares, quæ proportione reſpondẽt illis tribus, ſcilicet ortui, permanſioni, & motui, indicat profectò locũ ortus ſanguinis eſſe hepar: locum permanſionis ſanguinis eſſe venas: locũ motus. i. per quem mouetur, effluit, atque expurga-

Hepar eſt locus in quo generatur ſanguis.

tur ſanguis, eſſe vtraſque nares. Hepar autem eſſe locum in quo generatur ſanguis, teſtatur Galenus in quarto de vſu partium, inquiens. Quemadmodum onerum portitores in ciuitatibus mundatũ in promptuario furmẽtum, ad aliquod commune ciuitatis deferunt ἐργαστήριον.i.officinam, vt concoquatur & vtile ad nutriendum iam fiat, ita prius elaboratum in ventriculo cibum, venæ ipſæ deferunt ad aliquem concoctionis locum, communem totius animalis, quod vocamus Hepar. Hæc ille. Quib⁹ innuit venas meſaraicas eſſe veluti portitores. Et in eodem libro ferè circa medium ſic ſcripſit. Hepar eſt ſubiacentium venarum principium, & primum efficientiæ ſanguinis, quam αἱματώσιν vocant, inſtrumentum. Et paulo poſt. Si excogitaueris aſſumptum ex ventre chylum, alterari à carne hepatis, & paulatim tranſeuntem ad illius naturam, craſsior ſeipſo ſimul & rubicundior ex neceſsitate erit, antequam iſti perfectè aſsimiletur. Poſſem alias tum Galeni, tum Hippo. penè innumerabiles afferre authoritates, ſed hæ ſatis multæ ſint. Et cum inueneris Galenum alioſque præſtantiſsimos medicos in venis meſaraicis ſanguinem fieri aſſeuerantes, non ob id credas venas meſeraicas eſſe locum generationis ſanguinis, quoniam in illis certã quandã & impolitã ſanguinis formã chylus accipit, in hepate verò perfectam. Sed Ariſto. huic ſententiæ repugnat, qui in tertio de hiſtoria animalium tradit, ſanguinem primum oriri in corde. Verũ Ariſtoteles voluit in corde primum ſanguinem generari, propterea quod cenſuit cor primum generari in animantibus, vt videre licet

Ca.1

Sanguis in venis meſaraicis non gignitur.

C.19

Cur Ariſt. fecerit cor locum in quo oriatur ſanguis.

in.6.de historia animalium. Disputare autem hoc loco, an cor sit principium venarũ & sanguinis, & an primũ oriatur in animãte, vt voluit, Aristoteles, an hepar, vt censuit Galenus, nimis longum esset. Talis enim disputatio librum integrum desiderat, siquidem sanguinis & venarum difficilẽ esse cognitionem admonuit Aristo. in .3. de animalium historia. Ob eamq́ue causam multa & ab Aristotele & à Galeno dicta sunt. In quibus explicandis & commemorandis, nimis longa ponenda esset oratio. Prætermisis ergo hisce quæstionibus, vtrum cor sanguine plenum, primum gignatur, in animante an hepar, & vtrum cor sit principium venarum & sanguinis in prima constitutione, omittatur, & breuiter dicamus an cor sit principiũ sanguinis, non ei⁹ qui in prima constitutione apparet, sed eius qui quotidie generatur. Huius enim principiũ etiam esse, Aristoteles visus est voluisse in.2.de partibus animalium & earum causis. Vbi hæc verba nobis reliquit. At verò cor, quia sanguinis initium est, & vim creandi sanguinis primã obtinet, idcirco ex tali materia cõstare, quale recipit alimentum, ratio est. Quæ sanè Aristotelis sententia mihi maximè probatur, cum rationi videatur consentanea maximè. Nam cor est origo, fons, & principium caloris, vt etiam fatetur Galenus in primo de elementis & veluti canimus quidam ignis, à quo in vniuersum corpus funditur calor. Ibi enim (inquit) sanguis ipse, à corde suum accepit calorem. Quippè id viscus natura cũ omniũ animalis particularũ maximè sanguineũ, tum calidisimum est, proximum illi iecur est. I-

C.3. C.2. C.1. Ca. vl.

Aristoteles fecit cor principium eius sãguinis, qui quotidie generatur, & rectè.

Cor fons caloris Arist. & Gale. sententia.

dem quoque videbis in.6. de dogmatibus platonis & Aristotelis. Cum ergo chyli mutatio in sanguinem nullo modo fieri poſsit ſine calore, cuius cor principium eſt, certè cor erit principium mutationis chyli in ſanguinem, ſeu vt loquuntur ſanguificationis. Sed non ita, vt hepar nō ſit vllo modo principium eiuſdem. Nam perſpicuum eſt omnibus in re antomica verſatis, ſanguinem generari in hepate. Ergo ita mihi videtur dicendum, hepar eſſe principium ſanguinis, quatenus ſanguis in hepate generatur. Cor vero ſanguinis eatenus videri principium dicendum, quatenus eſt principium caloris, quem in efficienda mutatione ex chylo in ſanguinem, hæpar mutuatur à corde. Nā niſi à corde in oēs corporis partes flueret calor, ob frigus cōtinuò ꝓpriis actionibus priuarentur. Vel hoc etiam modo fortaſſe dicere poſſemus, hepar eſſe principiū generationis ſanguinis, cor verò eſſe principium perfectionis eiuſdem. Nam & Galen⁹ fatetur arterias originem ducere à corde, quæ ferunt calorem vitalem per vniuerſum corpus, quæque ferè omnes venas comitantur. Cum ergo arteriæ cum venis ſint coniunctæ, calor ille arteriarum perficit ſanguinem exiſtentem in venis, ſingularum corporis partium propriis. Vtrumque ergo ſanguinis principium erit, ſed alia atque alia ratione & intelligentia. Nunc venas eſſe locū permanſionis ſanguinis, doceam⁹ authoritate Galeni, qui in primo de vſu partium ſic ſcripſit. Neruorū vtilitas eſt, virtutem ſenſus & motus, à principio in partes tranſmittere. Arteriarum autem, cuſtodire eam quæ ſecundam naturam caliditatē,

Cor & hepar ſunt ſanguinis principium, ſed diuerſa ratione.

Hepar principium ortus ſanguinis. Cor principium perfectionis ſanguinis

Venæ ſunt locus permanſionis ſanguinis.

& nutrire ſpiritum animalem. Sanguinis autem generandi ſimul, & in omnes partes ferendi gratia, venæ factæ ſunt. Et quamquam venæ ferant ſanguinem in vniuerſum corpus, non ſequitur tamen quin ſint locus permāſionis eius. Quod hinc poteſt intelligi, quia vbi è venis in aliam corporis partem effluxerit, continuò concreſcit, nunquam autem in venis, quaſi venæ ſint locus, non ſolum manſionis, verum etiam conſeruationis eiuſdem. In hac quoque ſententia Ariſtoteles fuit, cum paſſim in libris de hiſtoria, & partibus, earumq; cauſis, animaliū, aſſeueret venas ſanguinis receptacula eſſe. Eſt tamen animaduertendum non omnem ſanguinem cōtineri in venis. Eſt enim aliquid ſanguinis in corde ſine venis, vt teſtatur Ariſto. in. 3. de hiſtoria animalium his verbis, quibus venarum cognitionem difficilem eſſe exponit. In animalibus mortuis (inquit) natura venarum principaliorum aboletur, propterea quod ipſæ in primis effluente ſanguine langueſcant, & collabantur: Ex iis enim quaſi vaſe vniuerſus ſanguis effunditur, quippe qui omnis in venis cōtineatur, præter exiguum, qui in corde eſt. Cęterum nomine venarū exiſtimarem Galenum hic arterias etiam intelligere, quamquam cōſueuerit eas diſtinguere inter ſe. Nam Galenus ſanguinem contineri in arteriis docuit in libro inſcripto, Quod ſanguis continetur in arteriis, vt ob hanc cauſam ſub venarum nomine cōprehēdi poſſe videātur. Ariſtoteles aūt & cęteri veteres non videntur diſtinxiſſe arterias à venis. Inquit enim in tertio de hiſtoria animalium. Palpitat intra venas ſanguis omnium animalium,

Sanguis omnis non continetur in venis.

C. 2.

Venarum cognitio difficilis.

Venas & arterias, veteres non diſtinxerunt.

pulſuque ſimul vndique mouetur, ſolusque omnium humorum ſparſus per totum corpus animalium eſt. Ex quibus perſpicuum eſt arterias appellaſſe venas, cum arteriæ ſint hæ quæ pulſant & emicant. Verum non quemadmodum facile fuit explicare hepar eſſe locum ortus ſanguinis, & venas permanſionis eiuſdem, ita facile erit docere nares eſſe locū, per quem moueatur & effluat ſanguis. Non enim huius rei gratia nares natura eſt fabricata, vt hepar gratia ſanguinis generandi, & venas eiuſdem continendi. Sed quis narium ſit vſus atque vtilitas, præclarè oſtendit Galenus in. 8. de vſu partium. Quum (inquit) ventriculi cerebro ſubiecti, excrementa ex continentibus eos corporibus confluentia non rarò excipiant, frequenter vtique apoplexiis occuparetur animal, niſi viam aliquam horum effluxi idoneam, hîc quoque natura excogitaſſet. Sed neque excogitari melior potuit, ampla ſimul & decliui. Intus igitur foras per narium meatus, excrementa efferuntur: foris autem intrò ſenſibilia & obiecta virtutis odoratiuę. Hęc ille. Non ergo factæ ſunt nares, vt per eas effluat ſanguis. Nam ſi ob id ipſæ effectæ eſſent, aut hæc vtilitas animali eſſet accomodata cum ſecundum naturam ſe habet, aut cum præter naturam. Non cum ſecunda fruitur valetudine, quoniam tū ſanguis emitti nō debet. Non quum pręter naturam, Cur. n. potius per nares quam per ſedē, os, atque pudendum? Et ſi dixeris has partes aliis muneribus non ſanguinis profluuio eſſe deſtinatas, vt ſedem, deiiciendo ſtercori, pudendum vrinæ & ſemini emittendo, os cibis capiendis: nonne nares

Nares an locus ſint per quem expurgetur ſanguis


Nariū vſus.

Nares natura non fabricauit vt per eas moueretur ſanguis.

atrahendis odoribus & muccosis excrementis expellendis sunt dicatæ . Quamquam non magis per nares, quàm per illas partes sanguinem eggredi videamus. Existimarem itaque hæc Galenum, non ex propria, sed ex veterum sententia pronunciasse . Hi enim quemadmodũ in corpore nostro sunt quatuor humores, ita in capite existimabant naturam quatuor locos fabricasse, per quos mouerentur atque effluerent quatuor illi humores.

ξανθῆς δὲ κύστις ἡ ἰδία καὶ περὶ τὸ ἧπερ, καὶ δι' ὤτων, ὅπερ καὶ φαίνεται.

Flauæ autem bilis parua vesica est propria, & quod circum hepar, & per aures mouetur, id quod cnique apparet.



Res etiam de flaua bile questiones hoc loco explicantur. Prima, quis sit locus in quo flaua bilis generatur. Altera, quis sit loc⁹ p mansionis eiusdem : Tertia, quis sit locus per quem expurgetur. Et cum tria vocabula adiungat , κύστιν id est paruam vesicam , & quod circum hepar , & aures, videtur profectò velle, paruam vesicam esse locum in quo bilis generatur : id quod est circum hepar, locũ in quo permaneat : aures locum

κύσις quas habeat significationes.

per quem euacuetur & effluat. Vocabulum κύσις multas significationes habet, interdum ventrem vsque ad femora, aliquando vrinæ receptaculum, nonnumquam locum siue corium, in quo quispiam includitur. Gaza in Aristotelis operibus simpliciter vertit, vesicam. Ego autem nota paruitatis adiecta, conuerti paruam vesicam, vt distinguere tur ab hisce omnibus, & bilis propria efficeretur, quæ à medicis folliculus fellis appellari consueuit.

Vesica parua est locus in quo gignitur bilis.

Cæterum paruam vesicam esse locum in quo generatur bilis, hinc quis cõcludere posset, quia quẽ admodum quod album est, generatur à corporibus albis, vt lac à glandulis albis mammarum, & ꝙ rubrum est à corpore rubro, vt sanguis ab hepate, ita quod flauum est à corpore flauo: bilis autem flaua est, & nullum corpus flauo colore infectũ cernitur, nisi parua vesica, hęc ergo locus erit, in quo bilis generatur. Quamquam hęc ratio piobabilitate quadam nitatur, cum tamen in venis & arteriis bilem contineri videamus, non omnino tuta alicui videbitur.

Galenus alibi facit hepar locum in quo oritur bilis.

Nam Galenus initio quarti de vsu partium, sit itaque (inquit) aliquod vinum nuper ex vuis expressum, infusum autẽ in dolia, & quod ab innato calore adhuc elaboretur, & secernatur, & segregetur, & concoquatur, & ferueat: & eius excrementorum quod quidem est graue & terrestre (quod, vt puto, vocant fæcem) in fundo vasorum subsideat.

Pulcherrima Galeni similitudo ad ortum humorum declarandum.

Alterum verò quod est leue & aereum, supnatet (hoc autem flos vocatur) & plurimum supereminet subtilibus vinis, sicut crassioribus alterum subsidet plurimum. Porro secundum exempli similitudinem intellige mihi distributum

à ventre ad hepar χυλὸν.i.ſuccum,à viſceris calore, velut vinum ipſum muſteum feruere, concoqui alterari ad ſanguinis vtilis & benigni ortum.In ebullitione autem iſta, hanc quidem eius ſuperfluitatem ſubſidere, quantacunque eſt lutoſa & craſſa:hanc autem, quæ eſt ſubtilis & leuis, velut ſpumam quandam ſupernatare ſanguini. His autem ratione effecta inſtrumenta preparari, caua quidem vt ſuſcipiant facile: oblonga autem colla velut ſtomachos quoſdam ex vtraque concauitatis parte habentia, alterum quidem eorum ad trahendum ſuperfluitatem, reliquum autem eorum ad emittendum idoneum. Sed & poſitionem familiarem eſſe oportuit reptioni & lationi ſuperfluitatis,& ipſas ſtomachorum ad hepar implantationes poſitionibus proportionaliter. Nam κύστιν.i. veſicam,quę leuem & flauam ſuperfluitatem recipit,natura appoſuit hepati.Splenem vero craſſam & lutoſam attracturum, maxime quidem voluiſſet ad ipſas portas ſupponere,quo & repere debebat à ſeipſa, pondere delata melancholica illa ſuperfluitas. Hæc ille. Quæ omnia ob eam quidem cauſam tranſcribere volui, quia & pulcherrima ſunt, & rem de qua agitur,perſpicuā maximè reddunt.Quibus certè verbis indicat Galenus,bilem flauam generari in hepate,non autem in parua veſica,& hanc à natura eſſe effictā, non vt in ea bilis generetur,ſed hæc in hepate generata, à parua veſica attrahatur. An ad hæc quis dicere poſſet,quēadmodum ſanguis non dicitur generari in venis meſaraicis,etiam ſi chylus rudem quandam & imperfectam ſanguinis formā ab ipſis obtineat, ſed *Cōtradictionis ſolutio.*

in hepate, quia ibi perfectam sanguinis formã accipit, ita bilis flaua nõ dicetur generari in hepate, cum ab hoc formam quandam imperfectam bilis accipiat, à parua verò vesica, perfectam, ideoque in ea videbitur generari. Sed dices, videmus non rarò hominum corpus colore flauo infici totum, quod non efficeretur, nisi bilis flaua in hepate generata, funderetur in vniuersum corpus. Responderi potest, hoc argumentum non concludere bilem in hepate generari. Nã fieri potest vt bilis flaua in parua vesica genita, regurgitet & remittatur à parua vesica in hepar, à quo deinde spargatur p omnes corporis partes. Verũ instabis etiã, meatus ab hepate ad paruã vesicã pertinentes, aliquãdo ita obstructos esse, vt nec quid ab hepate trahere posit vesica parua, nec quid in illud remittere: quibus obstructis flauo colore totum corpus veluti depingitur, quod fieri non posset, nisi flaua bilis in hepate & venis oriretur. Hoc argumentum vrget, sed illud ita fortasse quis dissoluere posset, in hepate quidem & venis bilem flauã generari, cum non omnes corporis partes suo officio rectè funguntur, seu malè affectus est homo. Nam excrementum illud quod in hepate imperfectam bilis formam accipit, quodque debebat à parua vesica attrahi, si diutius retineatur in hepate quàm oporteat, aut ob imbecillitatem facultatis attractricis, ipsius paruæ vesicæ, aut ob aliquam obstructionem meatus illius, certè illud à nimio calore poterit in bilem absolutam conuerti. Concludamus ergo, in homine secundum naturam omni ex parte se habente, & omnino temperato, (Hic enim

Obiectionis explicatio.

Alia obiectio tollitur.

Bilis absoluta in hepate oritur, si parua vesica sit male affecta

ſemper veluti regula nobis propoſitus eſſe debet, vt in libris de ſanitate tuenda, de differentiis pulſuum, & alibi paſsim à Galeno admonemur) bilem flauam abſolutam, generari in folliculo fellis: bilis vero rudem quādā & impolitā formā prius in hepate introduci & velut imprimi. At in homine obſtructione laborante, vel hepatis temperamentum aut calidius, aut calidum maximè habēte, non magis in parua veſica, quàm in hepate flaua generabitur bilis. Quandocumque igitur Galenus dicit bilem generari in hepate, intelligit rudem quandam formā illius in eo introduci. Et ſi aliquando exprimit veram bilis formam in hepate generari, intelligit id euenire in hominibus vel obſtructione meatuum, vel intemperie maximè calida hepatis laborante. At cum hic dicit bilem flauam oriri in parua veſica, videtur intelligendum bilem flauam, perfectam formam habentem, in homine planè temperato, in parua veſica generari. De qua antequam finem dicendi faciam, illud admonendum putaui, quod nos docuit Galenus in quarto de vſu partium, in nonnullis animalibus non eſſe omnino κύστιν, ſed ſolos poros choleram ſeu flauam bilem transferre ab hepate ad ſubtile inteſtinum. Nonnulli Galeni interpretes aiunt talia animalia eſſe columbos. Iam tempus eſt, vt quis ſit locus permanſionis, ſeu in quo permaneat ipſa bilis aperiamus. Galenus autem ait eſſe, καὶ περὶ τὸ ἧπαρ, hoc eſt, id quod eſt circum hepar. Per quod intelligit quoſdam meatus hepati ſubiectos, in quibus flaua bilis con-

Bilis flaua abſoluta oritur in parua veſica, ſi homo optimè ſe habeat ſecundum naturā.

Parua veſica in quibuſdam animalibus non ineſt

Locus permanſionis bilis, quis ſit.

tinetur. In quarto enim de vſu partium ſic ſcripſit. Eos qui coleram chontinent meatus fortaſsis ridiculum fuerit, vel ſanguinationis inſtrumentum exiſtimare, vel venarum principium opinari. A folliculo. n. hepati agnato (quam græci κύϛιν χολήδοχον id eſt veſicam choleræ ſuſceptricem vocant) hi meatus prodeunt, & eandem cũ illo corpore oſtendunt naturam, & choleram, non ſanguinem continent: & non ſolum ſunt in hepate hi meatus, ſed etiam extra hepar, ſicut is qui peruenit ad inteſtinum, & iſti qui in ipſam κύϛιν immittuntur, quæ etiam alicubi eſt pars hepatis. Hæc ille. Quemadmodũ ergo venæ per quas fertur ſanguis in vniuerſum corpus, ſunt locus in quo cõtinetur ſanguis, ita pori ſeu meatus, per quos ab hepate in paruam veſicam, & ab hac in duodenum vehitur flaua bilis, ſunt locus in quo permanet ac continetur eadem: quamquam magis hi, quam illi. Non etiam fortaſſe abſurdum erit, locũ in quo generatur bilis, eſſe locum in quo contineatur eadem, alia tamen & alia ratione, vt locus in quo gignitur ſanguis, videtur quodãmodo locus in quo ſanguis permaneat atque contineatur. Denique quis ſit locus per quem bilis expurgetur, dicamus. Galenus hîc inquit eſſe aures. Quod cuique perſpicuum erit, ſi id animaduertere voluerit, vel etiam experiri, accipiens pannum quendam linteum eumq́ue in detiſcalpij formam componens, & in aures immitens. Eundem enim educet flaua bile imbutum & inquinatum: & quamquam non ſit ſola bilis, maior tamen illius excrementi pars, bilis exiſtit. Quod ab Aretęo nominatur κυψελίς. Et ſi ſo

Aures ſunt locus per quẽ expurgatur bilis.

aph. 25. la experientia tibi non satis ostendat per aures bilem purgari, & authoritatem aliquam desideras, audi Hippocratem in quarto aphorismorum ita loquentem. Quibus biliosæ accidũt deiectiones, hæ, superueniente surditate, cessant: & quibus fit surditas, hęc superueniẽtibus deiectionibus biliosis cessat. Sed iis verbis non magis indicat per aures quam per sedem bilem purgari. Præterea, nonne etiam per vrinas, & sudores purgatur? An ergo de loco per quem emittitur bilis, dicendum id sit, quod de loco per quem mouetur & effluit sanguis pronunciauimus? Nimirum ex veterum sententia hęc dici, qui in capite, quatuor humoribus, quatuor etiam locos, per quos expurgarentur, accomodare voluerunt. *Obiectionis dissolutio.*

φλέγματος δὲ, στόμαχος καὶ ψόαι, ἢ διὰ στόματος,

Pituitæ verò, stomachus; & lumbi, & per os.



Riplicem quoque pituitę locum assignat. Atque locum in quo pituita generatur, stomachum seu ventriculum facit. Locum autem permansionis eiusdem, lumbos. locum verò per quẽ pituita purgatur, os. Pituitã autem in ventriculo generari testatur Galenus in commentariis in naturam humanam, vbi inquit pituitam generari in prima ci- *Ventriculus est locus, in quo generatur pituita.* Com. 39.

borum mutatione, quam Galenus in ventriculo fieri multis in locis contendit. Sed quoniam multæ ſunt pituitæ ſpecies, quæ non omnes in ventriculo generantur, paulo poſt cum de ſingulis pituitæ ſpeciebus agam, quæ in ventriculo gignatur, & quæ in aliis partibus corporis, ſigillatim docebo. Hoc tamen vnum dicam, in ventriculo generari eam pituitæ ſpeciem, quam Praxagoras vitream, alij albumineam, alij ſuccum crudum appellant. quamquam Galenus in quarto de ſanitate tuenda, ſuccum crudum à pituita vitrea diſtinguit. Lumbos deinde Galenus facit locum permanſionis ipſius pituitæ. Lũbi ſunt corporis vltima pars, quę interiecta eſt inter os ſacrum & metaphrenũ. Intelligendum eſt autem, vt docet Galenus in. 12. de vſu partium, dorſi quatuor eſſe maximas partes: primam, collum: alteram, metaphrenum: tertiam, lumbum: quartam, os vocatum ab aliquibus ἱερὸν .i. ſacrum, ab aliis verò πλατὺ .i. amplum vel latum. Collum autem conſtat ſeptem ſpondylis ſeu vertebris, metaphrenũ duodecim, lumbus quinque, os ſacrum quatuor. Intelligendum eſt etiam à cerebro truncum quendam produci per totum dorſum, ſeu per totam ſpinam extenſum, quem νωτιαῖον μυελὸν .i. ſpinalem medullam vocant. Huic etiam vt cerebro duæ meninges datæ ſunt, ſed inter ſe coniũctę neq; diſtantes vt in cerebro, quòd ipſa non pulſet ac moueatur veluti cerebrum, tametſi à ſpondylis mobilibus contineatur, & propterea hiſce duabus meningibus ſpinalis medullę, tertia tunica neruoſa ac fortis eſt circundata, ne ipſa in vario motu ſpinæ, frangeretur. Ac etiã hu-

Quę pituitæ ſpecies in vẽtriculo gignatur.

Lumbi qui ſint.

Dorſi partes quatuor.

Dorſum conſtat 27. vertebris.

Spinalis medulæ tunicæ & humor.

mor pituitoſus atque viſcoſus, huic tunicæ eſt circunfuſus, quomodo & tunicę ſpōdylos colliganti, quæ moueri aſsiduè oportebat. Metuendum enim erat, ne exiccata ipſa dolerent, ac tandem actiones ipſorum labefactarentur. Ex quibus planum factum eſt, ſpinali medullæ pituitoſum humorem eſſe circumfuſum, ne aſsiduo motu exiccaretur, ita vt videatur eſſe veluti locus quidam, in quo pituita permaneat. Sed ſi totum dorſum, totaúe ſpina eſt veluti quidam permanſionis pituitæ locus, cur Galenus hîc ſolorum lumborum mentionem facit? An quia in ipſis & eſt, & eſſe oportet maiorem pituitoſi humoris copiam, quam in alia dorſi parte? Rationi enim conſentaneum erat, vt ea pars, quæ frequentius, & violentius moueretur, maiore pituitoſi humoris copia abundaret, qualis eſt lumbus. Siue enim in anteriorem partem, ſiue in poſteriorē inflectatur homo, vertebræ lumborum maximè mouentur. Denique Galenus exponens quis ſit locus, per quem pituita euacuatur, os inquit eſſe. Quod de pituita ea quæ in ventriculo generatur, idq́ue aliquando, intelligendum eſt. Nam pituita ea quæ in aliis partibus ineſt, deiectionibus ſudoribuſque, vel beneficio medicamentorum, vel naturæ conatu euacuatur. Adiunxi autem, aliquando, quia ferè ſemper pituita in ventriculo generata, per inteſtina & ſedem educitur. Galenus nanque rationem afferens, cur meatus bilem flauam expurgantes, in ecphiſim inſerantur, inquit, vt bilis flaua ſua acrimonia ſollicitet inteſtina ad deiicienda pituitoſa excre-

Spinalis medula eſt locus permanſionis pituitæ.

Os eſt locus per quem pituita expurgatur.

menta in ventriculo genita. Quamquam etiam per os expurgentur vel vomitione, vel expuitione. Veteres autem quoniam frequenter hominem expuere videbant, locum pituitæ expurgandæ dicatum, os esse contenderunt.

ὥσπερ τῆς μελαίνης ὑπὸ τὸ ἧπαρ καὶ σπλῆνα, καὶ διὰ ὀφθαλμῶν, ὥσπερ λέγεται.

Quemadmodum nigræ bilis, id quod est sub hepate, & splen, & per oculos, vt dicitur.



TRes denique locos bilis nigræ exponit, Inquiens locum in quo bilis nigra oritur, esse splenem. Locum autem in quo permaneat, esse id quod est sub hepate. Locum verò per quem purgatur, oculos. Sed splenem locum esse in quo gignitur bilis nigra (per bilem nigram hîc intelligimus humorem nigrum) videtur & Galeno & vniuersæ medicorum scholæ esse contrarium. Ponunt enim chylũ in hepate in quatuor humores conuerti, partem quidem subtiliorem & magis coctam, in bilem, eam verò quæ mediocrem substantiam habet, quæque mediocriter coquitur, in sanguinem: min⁹ coctam & crassam, in pituitam (Minus quidem cocta dicitur ratione sanguinis & bilis, non ratione

Quæstio de loco ortus nigri humoris.

ſuipſius, Nam hoc modo abſolutè eſt cocta ad nutriendas partes pituitoſas) Partem autem quæ craſſior eſt & inſtar fæcis reſidet, eſtque veluti fex aliorum humorum, in melancholiam, quam fæcalem appellant. Cum hæc medici vno conſenſu ferè omnes ſtatuãt, profectò bilis nigra.i.humor niger, nõ in ſplene, ſed in hepate generabitur. An dicendum id ſit, quod de bile flaua docuimus? Humor itaque niger formam quandam rudem & impolitam in hepate accipit, perficitur aũt in ſplene. Splẽ.n.ſolus hanc vim & facultatem à natura obtinuit, vt veram humoris nigri formam, veraſque qualitates introducat. Et ſi dixeris homines colore olcaceo, qui eſt proprius ipſius nigri humoris, infici, quod non contigeret niſi in hepate generatus niger humor, in vniuerſum corpus ſpargeretur: reſponderi poteſt, nõ ſpargi ob id in vniuerſum corpus, quòd in hepate ſit procreatus, ſed quia aliquando ob affectum aliquem, à ſplene remittitur in hepar. Si vero contendas meatus eſſe aliquãdo obſtructos ita, vt non poſsit remitti, & tamen corpus imbui colore, olei ſpeciem referente, tunc reſpondẽdum exiſtimo, ob nimiam in hepate & venis moram, humorem nigrum ferè abſolui: aut fortaſſe quia temperamentum ipſius hepatis eſt ferè, tale quale eſt temperamẽtum lienis. Verum ſi dederis mihi hominem planè temperatum, qui nobis ſemper veluti regula quædam propoſitus eſſe debet, certè vt bilis flaua in parua veſica hominis planè temperati generari docuimus, ita humor niger in ſplene eiuſdem oritur. Locus verò in quo permanet humor niger eſt, inquit

Splen eſt locus in quo generatur niger humor.

Quis sit locus in quo permaneat niger humor.

Galenus, id quod est sub hepate. Per id quod est sub hepate, intelligit meatus quosdam, qui ab hepate ferunt nigrum humorem in splenem vt perficiatur, & à splene in ventriculum vt excernatur. Quos intelligere perfectè non poteris, nisi in re anatomica fueris benè versatus. Denique locum per quem melãcholia expurgatur, oculos ait esse. Quod non videtur à veritate omnino abhorrere. Nam qui signa hominis melancholici tradiderũt, cum lachrimabundum esse depinxerunt. Praeterea experientia compertum est, si quis sit mœstus & tristis, & largè plorauerit, omnem de anima eius mœrorem atque tristitiam deiici, quasi per oculos melãcholia illa effluat. Obseruaui insuper ego puellum vnum & puellam fratres, & ambos melancholicos, puellum mortuum esse, non autem puellam. Fœminarum. n. natura cum ad plorandum sit procliuis admodum, non autem virorum, puella illa frequenter plorabat, quae tandem progressũ temporum melancholiam maxima ex parte deposuit, quasi per oculos & lachrimas sit expurgata. Puellus verò ille vix verberibus plorare cogebatur. Quo factum est, vt vitam cum morte commutarit. Bilẽ ergo nigrã per oculos purgari, rationi consentaneum est maximè. Verũ huic rei aduersatur Galeni authoritas, qui in quinto de vsu partium hunc scripsit in modum. Non miramur adhuc si melancholica superfluitas, quae in splene est, non potens elaborationem, & transmutationem suscipere, non ad intestina sedi anoq́ue propinqua, sed ad ipsum ventrem, excretionem habet. Si ergo ad ventrem excretionem habet, pro

Oculi sunt locus per quẽ expurgatur niger humor

Contradictionis solutio.

fectò per oculos non expurgabitur. An cum hîc bilem nigram per oculos eggredi traditur, ex veterum quoque sententia sit prolatum? Quod certè indicare videtur, cum postremò adiungit ὥσπερ λέγεται, i. quemadmodum dicitur, scilicet populariter. Veteres enim non solum oculos esse locũ per quem emittitur nigra bilis voluerũt, sed etiam esse princpium venarum aliquarum contenderunt, vt tradit Aristoteles in tertio de historia animali- *Veteres voluerũt oculos esse principiũ venarum.*
C. 2. um his verbis. Alij in hominibus admodum extenuatis, per ea quæ extrinsecus viderentur, interna venarum principia definire syennesis medicus Cyprius ita scribit. Venæ corporis crassiores oriuntur ad hunc modum & tendunt de oculo propter supercilium, per dorsum ad pulmonem sub mammas. Hæc ille. Altero modo respondere possumus, ratione loci (quatenus ad institutum nostrum pertinent), humorem nigrum duobus modis spectari posse, vno quatenus est in splene, altero quatenus est in capite. In capite enim est in homine melancholico, & pręter naturam se habente. In homine verò planè temperato semper in splene. Si verò in capite fuerit, per oculos quidem purgari nihil impediet. Quod hîc Galenus videtur intelligere. Sin autẽ fuerit in splene hominis temperati omnino, nũquã per oculos purgari posse videbitur, nisi sursũ ad caput feratur: at si ad caput efferatur, non iã homo tẽperatus omnino erit. Cęterũ talis humor in capite existẽs purgatur per oculos, quia oculorũ substantia est laxa admodum atque rara, vt per eam potius quàm per aliam capitis partem effluere possit. Mœsti autem *Altera eiusdem contradictionis solutio* *Humor niger cur purgetur per oculos.*

Mœsti cur si plorent mœrorem deponant.

& tristes si largè plorauerint, ob id videntur deponere omnem mœroré, tum quia lachrimæ effluentes, secum humoris nigri aliquam partem educũt, qui mærorem generabat, tum quia motus ille dissoluit ea phantasmata, (græcum retineamus vocabulum) quæ tristem & melancholicum hominem efficiebãt. Atque qui loci per quos humores expurgantur hîc tradantur à Galeno, nobis prospectum est. Hippocrates vero in quarto de morbis, hunc scripsit in modum. Quatuor, equidem humores esse demõstraui, hominẽ lædentes. Quatuor quoque esse dico locos, per quos homo de singulis hisce expurgatur. Sunt autem ij, os, nares, podex, vrinæ meatus. De humorũ autem fõtibus initio eiusdẽ libri sic scripsit: Et sanè sanguini fons est cor, pituitæ caput, aquæ splen. Bili locus paruæ vesicæ in hepate. Hi sunt quatuor humoribus his fontes, ventriculo excepto. Sed iis verbis constat Hippocratem alios quosdam intellexisse humores, quam Galenus.

Quosnam locos humoribus assignauerit Hippocrates.

χροιὰ δὲ αὐτῶν, αἵματος μὲν ἐρυθρά.

Color autem ipsorum humorũ, sanguinis quidem est ruber.



DE coloribus humorum hoc loco incipit disputare, à sanguine tanquam à præstantiore initium ducens. Sanguinem autem, rubrum esse testatur Aristoteles in tertio de historia animalium inquiens. Si san

Sanguis est ruber.

guis integer eſt, rubet, & dulcis ſaporis eſt: ſed ſi vel natura, vel morbo ſit vitiatus, atrior cernitur.
C. 1. Galenus etiam, in primo de locis affectis, & ſexto de placitis Hippo. & Platonis tradit ſanguinis venarum, colorem natiuum eſſe rubrum, arteriarũ verò vtpote, calidiorem, tenuem &, ſubtilem, flauiorem exiſtere. In libro autem de attra bile. Igitur (inquit) magna ex parte rube⁹ color in hoc hu
C. 2. more exuperat, & talis exactè, optimus ſanguis exiſtit. Ex quibus illud poteſt intelligi, cum Galenus dicit ſanguinem eſſe rubrũ, non quemuis ſanguinem eſſe intelligendum, ſed eum qui eſt in homine temperato, & ſecundum naturam ſe habẽte Nam fieri poteſt, vt in iis qui vel morbo conflictãtur, vel prauum temperamentum habent, ſanguis ſit vel niger, vel albicans, vel alio quouis colore infectus. Nec eum ſanguinẽ, qui eſt in quouis vaſe hominis temperati, ſed eum qui eſt in venis, quippe cum is ſanguis, qui in arteriis locum habet, nõ ruber, verùm flauior cernatur. Cæterum cauſam aperiamus cur ſanguis ſit ruber. Eſt quidem ob eam cauſam, quia ab hepate, ꝙ rubrũ eſt, quodque in chylum ruborem inducit, procreatur. Quapropter Galenus in tertio de vſu partium ſic ſcriptum reliquit: ſingulæ alterantes cibum particulæ velut quoddam ſignum habent, hoc eſt σκόκον & finem, ſibi aſsimilare id, quod alteratur. Si vero excogitaueris aſſumptum ex ventre chylum, alterari à carne hepatis, & paulatim tranſeuntem ad illius naturam, craſsior ſeipſo ſimul & rubicundior ex neceſſitate erit, antequam iſti perfectè ſimilis efficiatur.

Quis ſanguis ſit ruber.

Sanguis cur ſit ruber.

φλέγματος δὲ λευκή.

Pituitæ verò, eſt albus.



Ituitę colorem exponit, eumque album facit. Talem autem eſſe oportere in libro de atra bile literis conſignauit. Apparet, inquit, C.2.
pituita omnis qualitatis expers vt luti aqua. Verum naturali quali-
Pituita eſt alba. tate mutata, non modò ſalſa, ſed etiam acida fit, quin & non raro dulcem qualitatem acquirit. Hũc itaque humorem qualiſcumque fuerit, pituitam appellant, ſi modo albus extiterit. Verum ne ſim longus, alias pleraſque Galeni authoritates omit-
Pituita cur ſit alba. to, conſultius eſſe putans, ſi cauſa, cur pituita ſit alba, inueſtigetur. Quod certè paulo difficiliꝰ eſt, quàm cauſam ruboris ſanguinis aperire. Dicendum itaque exiſtimo, (ſumpto hoc principio, vnamquamque particulam hunc finem propoſitũ habere, vt ſui ſimile efficiat id omne, quod altera tur ab ea) ventriculum ita agere in cibos in eo exiſtentes, vt eos ſui ſimiles efficiat, ventriculus autem albus eſt, idcirco chylus in eo procreatus, candidus eſt. Aliâs tamen magis, aliâs minus pro va-
Chyli quatuor partes. rietate ciborum qui aſſumuntur. Chylus ille candore depictus, per venas meſaraicas ducitur ad hepar, in quo chyli pars vna colorem rubrum accipit, vt quæ temperata eſt: altera, vt quæ caliſsima eſt, incipit flaueſcere, planè verò flaua in parua veſica redditur: tertia, vt quæ eſt craſsima & terre-

ſtris maximè nigricare incipit, quæ in ſplene poſtea perficitur: quarta verò, vt aquæ naturam quadantenus imitans, albicat adhuc, quæ cum non poſsit vinci ab actione hepatis, cãdida remanet. In hepate autem & venis.i.vnà cum ſanguine eſſe aliquem humorem album, ex venarum diſſectione, cuiuis exploratũ eſſe poteſt. Si ergo in chylo has quatuor partes animo conceperis, non magna cũ difficultate cauſas coloris ſingulorum humorum explicare poteris. Cauſa itaque cur pituita ſit alba, hæc videtur eſſe, quia chylus fit alb9 à ventriculo albo. In quo quidem chylo eſt pars vna quæ actione alicuius partis, quantum ad colorem attinet, nõ immutatur, ſed alba permanet, & fertur per vniuerſum corpus ad partes pituitoſas alendas. Non inficior tamen, quin pars aliqua ipſius pituitæ tẽperatior, progreſſu temporũ conuertatur in ſanguinem, ideoq; colorem rubrũ admittat. Hoc enim voluit & ipſe Galen9. Alij fortaſſe dicere poſſent, pituitam ob id candidam eſſe, quia natura ſolertiſsima eam candidam eſſe & remanere voluit, vt pituitoſæ partes, quæ & ipſæ candore ſunt tinctæ, eadẽ nutrirẽtur. Sed hoc, rei, de qua agitur, nõ eſt cauſam explicare. Verũ dices, pituitam aliquando ad flauum, nonnunquã ad liuidum colorem, interdũ ad viridem, accedere certo quodam modo: quare non erit ſimpliciter alba nominanda. Pituita per ſe & in ſua natura ſpectata, alba eſt, admixta autem aliis humoribus, varios colores induere poteſt. Per ſe autem atque natura ſua eam hoc loco ſpectamus, non alicui humori coniunctam. Et ſi contendas non admixtione

Cur pituita ſit alba.

Pituita cur variis coloribus tingatur

Pituita per ſe, & admixta aliis.

Alterius obiectionis solutio.

aliorum humorum, sed per se varietate caloris, variis coloribus imbui pituitam: sic videbitur respõderi posse, pituitam ratione coloris, duobus modis posse consyderari, vno quatenus est naturalis, altero quatenus p̃ter naturã. Pituita ratione coloris naturalis, est candida, p̃ter naturã verò aliis coloribus potest esse tincta. Hîc autem agitur de pituita naturali ratione coloris, nõ de pituita pręter naturam coloris ratione. Adieci autem semper, ratione coloris, quoniam fieri potest, vt pituita ratione coloris sit naturalis, ratione autem saporis, sit pręter naturam. Fortasse enim erit alba & dulcis, vel alba & acida, vel alba & salsa. At pituita naturalis saporis expers debet esse. Cum ergo hîc dicitur, pituitam esse albam, intelligendum est, pituitam naturalem, habita coloris ratione.

ξανθῆς δὲ εἴδη ἑπτά· ἡ μὲν γάρ τις ἐστὶ ξανθὴ, ἥ τις καὶ στοιχειώδης λέγεται, ἡ δὲ ὠχρά, ἡ δ᾽ ἐρυθρά, ἡ δὲ πρασώδης, ἡ δὲ λεκιθώδης, ἡ δὲ ἰώδης, ἡ δὲ ἰσατώδης.

Bilis autem flauæ septem sunt species. Quædam enim est flaua, quæ illa quidem elementi rationem habet, altera pallida, tertia rubra, quarta porracea, quinta vitellina, sexta æruginosa, septima isatidea.



On ſolum bilis colorē exponit, ſed ſimul varias eius ſpecies nos docet, ſeptem nimirum. In libro etiam de atra bile in ſcripto, ſeptem eius ſpecies facit, alio tamen ordine collocatas. Ibi enim hoc ordine diſponuntur, bilis flaua, pallida, vitellina, porracea, ęruginoſa, iſatidea, rubra. Qui certè ordo magis naturalis eſt, quā qui ponitur hoc loco, vt ex iis quæ dicentur à me, poterit intelligi facilè. Verum præſtantiſsimi viri, iiſdem de rebus, variis in locis differentes, eas ſemper eodem ordine nō tractarunt, quod fortaſsis fuiſſet melius. Cum ſeptem ergo ſint, non poſſum non mirari excellentes quoſdam medicos, qui ſex tantum fecerunt bilis flauæ ſpecies, idq́ue ex Galeni ſentētia. Nam ſi nō viderint hūc de humoribus librum vt, qui latuerit ad hanc vſque ætatem, ille tamen de atra bile liber eos admonere debebat, in cuius initio illæ ſeptem commemorantur ſpecies. De flauæ ergo bilis ſingulis ſpeciebus diſputaturus, ipſis collocatis, eo ordine, quo in libro de atra bile ponuntur, primum docebo, cur vnaqueque tali nomine ſit appellata: deinde quibus ex rebus vnaquæque ſpecies gignatur: poſtremo in quibus gignantur corporis partibus. Prima ergo bilis flauæ ſpecies, retinent generis nomē, & dicitur ξανθὴ id eſt flaua, propterea ꝙ colore flauo eſt tīcta, rebuſq; flauis ſimilis exiſtit. Vnde fluuius quidam Troiæ ξάνθος, (latini græcū vocabulum retinentes ſolis caracteribus mutatis xanthum appellauerūt,) eſt dictus, quòd oues reddat flauas, vt teſtatur Ariſtoteles libro tertio de hi

Bilis flauæ ſpecies ſeptē.

Bilis flaua cur flaua dicatur.

C.12

Bilis pallida cur pallida dicatur.

historia animalium, & Plinius libro ſecundo. Altera ſpecies eſt ὠχρὰ id eſt pallida, quia rebus hiſce, quæ pallidæ dicuntur, exiſtit ſimilis. Cap. 10.

Bilis vitellina cur ſic appelletur.

Tertia ſpecies eſt λεκινθώδης id eſt vitellina, quæ ob eam cauſam, inquit Galenus in ſecundo de facultatibus naturalibus, vitellina eſt nominata, quia vitellis ouorum tum colore, tum conſiſtentia ſeu craſsitudine eſt ſimilis. Ca.

Bilis porracea, cur ſic nominetur.

Quarta eſt πρασώδης id eſt porracea, quæ vt teſtatur, Galenus in libro de atra bile, ſic nominata eſt, quia porraceum colorem habeat, ſeu quia eius color, porrorũ colori pſimilis cernatur. Ca.

Bilis æruginoſa, cur ſic vocetur.

Quinta eſt ἰώδης .i. ęruginoſa, ab ęruginis, quã prę ſe fert ſimilitudine vocata, vt, de atra bile ſcribit Galenº.

Bilis iſatidea cur ſic dicatur.

Sexta eſt ἰσατώδης id eſt iſatidea, ob eam cauſam ſic dicta, vt in modo citato loco Galenus docet, quia iſatidis colorem refert.

Iſatis duplex

Intelligendum eſt autem, iſatidem duplicem eſſe, alteram ſatiuam, & alteram ſylueſtrem. Satiua folia habet plantagini ſimilia, ſed pinguiora nigrioraque. At ſylueſtris habet colorem viridem, vt loquuntur, clarum. Cum ergo dicimus bilem iſatideam referre colorem iſatidis, intelligas iſatidem ſatiuam, non autem ſylueſtrem. Nam bilis iſatidea, atræ bili, viribus, colore, & conſiſtentia proxima eſt.

Bilis rubra, cur ſic dicta ſit.

Septima & poſtrema eſt ἐρυθρὰ id eſt rubra, hoc nomine appellata, propterea quod, vt in eo quem modo citaui loco Galenus tradit, ſimilis ac propinqua eſt ſanguinis tenuis ſubſtantiæ. Hæc non eſt ſanguis, quia extra vaſa non concreſcit, vt ſanguis concreſce ſolet. Eſt uerò bilis quamquam ſit rubra, quippè ſit amara actu, & calida ac ſicca poteſtate. Nunc doceamus ex quibus, & quomodo vnaquæque ſpecies

C.9. earum gignatur, à flaua exorsi. Galenus in secundo de facultatibus, sic scripsit. In sanguine generando, quicquid abundè crassum ac terreum, ex ciborum natura, in nutrimento fertur, nec commodè à naturali calore alteratur, id lien ad se trahit. Quod verò assum vstumq́ue nutrimenti est, (fuerit sanè hoc calidissimum in eo ac dulcissimum, qualia sunt, tum mel, tum adeps) id flaua bilis dicitur. Hæc ille. Quibus certè verbis indicat bilem flauam generari ex chyli ad hepar delati parte calidissima atque dulcissima. Et postea hæc verba subiungens, est autem hoc tenue, humidumque ac fluidum, non quale cum ad vltimum est excoctum flauum, igneũ, & crassum, vitellis ouorum simile, docet quasdam veluti proprietates, ipsius flauæ bilis, eam nimirum esse tenuem, humidam, & fluidam. Pallida autem bilis fit ex flaua admixto simul humore tenui, & aquea substantia seu serosa, ex qua sudores & vrinæ fieri solent, vt tradit Galenus decimo de simplicibus medicamentorum facultatibus. Vitellina vero fit ex flaua. Quod ex placitis Galeni sic potest doceri. Diximus enim ex Galeni sententia bilem flauam esse tenuem, humidam, & fluidam. Si ergo actione caloris minus tenuis, minus humida, minusq́ue fluida efficiatur, ita vt colore & consistentia vitellis ouorum similis fiat, certè bilis vitellina iam erit procreata. Quam etiam generari ex bile pallida, indicat Galenus in libro de atra bile his verbis. Quemadmodum bilis admixtione tenuis & aquosi humoris, euadit colore pallidior, & consistentia aquosior, ita

Bilis flaua oritur ex dulcißima chyli parte.

Bilis flauæ proprietates

Pallida ex quibusnam fiat.

Vitellina ex quibusnam fiat.

quum impenſius ipſa digeſta diſcuſſaque fuerit, oui crudi luteo, ſimilis videtur. Hæc ille. Quaſi diſſipata à calore illa tenuis ſubſtantia, quæ admixta erat, bilis vitellina fiat ex pallida. Videtur etiam fieri poſſe ex bile flaua & pituita craſſa atque viſcoſa, ſi admiſceatur ſimul. Porracea autem gignitur propter cruditatem quorundam eſculentorum aut olerum, qualia ſunt beta, cepę, braſsica, & huiuſmodi, vt docet Gale. in ſecundo prognoſt. Nō autem abſurdum eſſe exiſtimarem, porraceam bilem fieri ex flaua & vitellina, ſi putreſcant ita, vt porraceum colorem conſequantur. Aut certè ſi calor in animantis corpore exiſtens, ita ſit malè affectus, vt colorem illum porraceum in bilem tum flauam, tum vitellinā introducere poſsit. Aeruginoſa ſimiliter gignitur ex vitellina, ſi hęc magis coquatur, atque ex ea aduſtione colorem æruginis accipiat. Æruginoſa enim eſt magis cocta quàm vitellina, & min⁹ q̃ iſatidea. Quę generatur ex ęruginoſa ſi adhuc magis aduratur. Hæc enim (vt diximus) atrę bili eſt ſimilis colore, cōſiſtentia, & viribus. Rubra denique bilis fit ex ſeroſo ſanguinis excremento. Eſt enim veluti quoddam ſanguinis ſerum. Cum ergo omnes bilis ſpecies, rubra excepta, gignantur ex flaua vel ob illius putredinem, vel ob maiorem aſſationem, vel ob cum aliis admixtionem: cum (inquam) ex flaua bile omnes alię ſpecies gignātur, vel (vt loquuntur) mediatè vel immediatè, certè perſpicuū eſſe poteſt, cur Galenus eā appellauerit elementarē. Ex ea enim veluti elemento quodam, reliquæ omnes fiunt. Hactenus explicatum eſt quibus ex rebus fiant ſingulæ bilis

Porracea ex quibuſnam fiat.

Aeruginoſa ex quibus oriatur.

Iſatidea ex quibuſnā fiat

Rubra, ex quibuſnam gignitur.

Com. 39.

flauę species. Sequitur vt qua in parte corporis vnaquæque gignatur, superiorem tenentes ordinē, aperiamus. Flaua ergo bilis in hepate inchoata, perficitur in parua vesica, vt superius demonstrauimus: ideoq́ue Galenus paruam vesicam locum in quo flaua bilis generaretur statuit, dummodo tēperatus sit homo. Nam si male fuerit affectus, in hepate etiam ac in venis gigni potest. Pallida gignitur in venis & hepate. In iis enim est serosa humiditas, ex cuius admixtione, vna cum flaua in iisdem existente, fieri diximus. Vitellina, vt inquit Gale. de atra bile, generatur in vasis. Per vasa venas nōnulli intelligunt, vt vitellina gignatur in venis. Verum & in parua vesica mihi videtur generari posse, si flaua in ea diutius permanens, colorem & consistentiam vitellis ouorum similem nanciscatur. Rectius ergo Galenus dixit generari in vasis, vniuersè loquendo, quàm alij dicendo in venis. Porracea gignitur in ventriculo, vt asseuerat Galenus in libro de atra bile, inquiens, In ventriculo alia quædam bilis gignitur, græci vocant πρασώδης, à porraceo colore, nomine desumpto. In secundo autem prognost. non solum in ventriculo, verum etiam in venis generari censet cum inquiat: Gignitur in corpoe, quemadmodum crocea bilis præter naturam habentibus, ita porracea altera pręter naturam. Constatq́ue vt hæc sæpenumero in ventriculo gignatur, propter quorumdā cruditatem esculentorum aut olerum, qualia beta, cepa, brassica sunt. Atque etiam talibus nequaquam nigestis, ratione ægrotantis in venis gignitur ac decumbit aut in ventrem superiorem, aut inferiorem, calo-

Flaua vbi oriatur.

Pallida, fit in venis.

Vitellina vbi oriatur.

Porracea gignitur in vētriculo, & venis.

Com. 39.

AEruginosa vbi gignatur. rem in corpore indicans præter naturam. Hæc ille. Aeruginosam in ventriculo generari voluerũt, propterea quod vomitionibus talis sit eiecta. Verũ & in aliis corporis vasis videbitur posse nasci, si flaua eatenus aduratur, quatenus ęruginis colorem accipiat. *Isatidea vbinam fiat.* Isatideam tradunt fieri in ventriculo. Verum cur non etiam in venis vt porracea? Cur non in parua vesica vt æruginosa? Nam & in ventriculo, & venis, & parua vesica, adustione videtur flaua bilis eum colorẽ accipere posse, vt isatidi satiuæ planè similis cernatur. *Rubra fit in venis.* Rubra denique gignitur in venis, cũ sit quoddam veluti sanguinis serum, & sanguis in venis suum habeat domicilium. Ad hunc vsque locum pręstiti id, quod pollicitus eram. *Obiectionis solutio.* Verum quis ex me quæret, si in tot corporis partibus bilis flauæ variæ species gignuntur, cur in parua vesica Galenus eam generari superius tradidit? Ad hoc respõsum iam est, bilẽ flauam, scilicet naturalem, in parua vesica generari, si homo quidẽ fuerit tẽperatus. At bilis pręter naturam in hominibus male affectis, in omnibus ferè corporis partibus videbitur generari posse.

Prima collatio specierum bilis inter se. Et quoniam oratio nostra hucusque progressa est, dicamus bilis species ita posse inter se comparari, vt alia sit naturalis, & alia pręter naturam. *Bilis flaua naturalis quid.* Bilis flaua naturalis est humor calidus siccus, potestate, substantia tenui, flauo colore, sapore amaro *Bilis præter naturã quid* Pręter naturam verò est, quæ quouis modo, scilicet aut substantia seu consistentia, aut colore à naturali degenerat. His enim duobus omnes bilis flauæ species, inter se possunt differre. *In quonã omnes bilis species conueniãt.* At omnes in hoc conueniunt, quia sunt humor calidus sic-

cus poteſtate, & ſapore amaro. Hæc enim niſi in-eſſent, bilis flauæ ſpecies haud dicendæ eſſent. Ex illis igitur ſeptẽ ſpeciebꝰ, vna eſt naturalis, ſcilicet flaua: reliquæ ſex, nimirum pallida, vitellina, porracea, æruginoſa, iſatidea, & rubra, omnes non naturales ſeu pręter naturam dicuntur. Quis enim pallidam diceret naturalem, quum fiat ex admixtione tenuis illius humoris, ex quo vrinæ & ſudores manare ſolent, & flaua bile, non autem ex caliſsima ſimul ac dulciſsima chyli portione? Hoc ob eam cauſam dixi, propterea quod nonnullos ſcio, qui pallidam naturalem fecerũt. Nec ex colorum ordine argumentum ſumant, quoniam colorum & bilis ſpecierum non eſt eadem ratio omnino. *Sex bilis ſpecies præter naturam.*

Altero modo bilis ſpecies poſſunt inter ſe comparari, vt aliæ mitiores, & aliæ ſęuiores ſint. De naturali & flaua quãdiu naturalis eſt, ſęua nullo modo eſt dicenda: nihil enim detrimenti, ſed plurimum emolumenti affert. Non nego tamen ſi vel in venis gignatur, vel in eas remittatur, à parua veſica, quin ſit mordacior quam pallida. Nam Galenus in decimo de ſimplicibus med. fa. inquit. Idẽ homo à pallida minus, à flaua bile plus mordicatur. Hac ergo prętermiſſa item & rubra, ſi reliquę inter ſe conferantur, pallida omnium eſt mitiſſima, moderatiſsima, minimum calida, amara, mordax: Itaſidea verò accerrima, calidiſsima, & mordaciſsima, cum iam bili nigræ proxima ſit colore, conſiſtentia, & viribus. Quæ verò interiectę ſunt quò propius ad pallidam accedunt, & ab iſatidea longius recedunt, ſunt minus ſęuę & mordaces: quò verò propius accedunt ad iſatideam, & *Secũda collatio ſpecierum bilis inter ſe.* *Cap. 14.*

magis à pallida abſcedunt, eò ſunt ſæuiores· Quare vitellina eſt ſęuior quam pallida, & minus quã porracea. Porracea verò eſt ſæuior quam vitellina, & minus ſæua quàm æruginoſa. Hæc autem magis quàm porracea, & minus quàm iſatidea.

Rubra autem aut vt pallida, aut paulo vel minus vel plus videtur ponenda pro diuerſa ratione. Illud denique hoc loco admonendum putaui, magnam eſſe vniuſcuiuſque ſpeciei bilis latitudinem, nec in, (vt dicũt,) indiuiſibili, vnamquamque eſſe ſtatuendam. Nam bilis flaua magis, & minus eſt, & tamen eſt flaua. Item pallida magis & minus: & tamen non deſinit eſſe pallida. Eodemq́ue modo vitellina magis & minus vitellina, nec tamen vitellinæ rationem amittit. Idem de reliquis dicendum. Hoc autem in cauſa fuit, vt vitellinæ bilis, nonnulli duas fecerint ſpecies, ſicuti vitellorum ouorum duplex eſt color. Quidam enim magis aliis albicant, alij rufiores videntur. Bilis autem vitellina quę rufioribus eſt ſimilis, per paulo maiorem aſſationem fit. Atque hæ ſunt quæ hîc & in libro de atra bile, flauæ bilis ſpecies à Galeno traduntur. In decimo autem de ſimplicibus medicamentorum facultatibus aliam ſpeciem tradidit, nempe cæruleam. In animalibus (inquit) apparet flaua, iis quidem quæ magis ſunt calida, quæ verò minus, pallida. Et vbi calida animalia aut fame, aut ſiti torquentur, ad atrum colorem vergit, interim illum habens æruginoſum, interim cæruleum, interim iſatidis, qui quidem magis eſt colore braſſicæ fuſcus. Hæc ille. Cur ergo non facit in hoc libro quem interpretamur, octo bilis flauæ

Bilis quæque magnam habet latitudinem.

Vitellinæ duæ ſpecies

Bilis cærulea

ſpecies? An quia, fortaſſe nondum bilem cæruleam viderat? Non enim res omnes ad medicinam pertinētes, vno die videri, ſpectari, & obſeruari poſſunt. Quę ſanè ſpecies ab aliis videtur diuerſa, nec ſub aliqua comprehenſa, vt aliquis forte exiſtimare poſſet. Vt enim color cæruleus diuerſus eſt ab omnibus aliis coloribus, ita bilis cęrulea temperamento erit diuerſa ab aliis bilis ſpeciebus. Ex variis enim temperamentis, varij gignuntur colores. Color enim eſt affectio rei mixtæ. Quapropter ex Galeni ſententia, octo bilis flauæ ſpecies ſtatuamus. Vt autem quæ diximus omnia, memoria commodius teneri poſsint, hoc ordine ponantur.

Bilis cærulea diuerſa eſt ab aliis ſpeciebus bilis.

Color quid.

Bilis flauæ ſpecies, alia eſt.	Naturalis, & dicitur.	ξανθή.i.Flaua.	Quæ gignitur in parua veſica ſi homo ſit temperatus, ſi verò malè affect⁹ & in hepate, & in venis. Gignitur, inquã, ex dulciſſima & calidiſsima Chyli portione.
	Præter naturã.	ὠχρά.i.pallida.	Gignitur ex flaua, in venis exiſtẽte, admixtione aquei ſeroſiq; humoris.
		λεκιθώδης.i.vitellina	Gignitur in venis ex flaua, humore tenui, qui in ea erat, diſsipato à calore
		πρασώδης.i.Porracea	Gignitur in vẽtriculo & venis ex flaua putreſcente, vel ob quãdam praui caloris proprietatem talem.
		ἰώδης.i.Æruginoſa.	Gignitur in vẽtriculo ex bile vel flaua vel vitellina, quamquam & in aliis vaſis poſsit generari.
		ἰσατώδης.i.Iſatidea	Gignitur in vẽtriculo & in vaſis ex æruginoſa.
		ἐρυθρά.i.Rubra	Gignitur ſolum in venis ex ſeroſo ſanguinis excremento.
		κυανεώδης.i.Cærulea	Gignitur ob quandã vel eſculentorum, vel caloris, vel vtriuſque proprietatem in ventriculo & venis.

μελαίνης τὸ ἐλαιῶδες χρῶμα οἰκεῖον, καὶ τοῦθ᾽, ὅπερ λέγεται μέλαινα.

Nigræ autem bilis proprius color, est oleaceus. Atque hic est, qui dicitur niger.



Roprium nigræ bilis colorē veluti depingit, eumq́ue oleaceum facit, Atque hic oleaceus color est, qui in homine temperato, dicitur niger. Oleaceum enim colorem, si cum colore sanguinis, & bilis flauę, & pituitæ cōferas, certè veluti niger videbitur. Cæterùm per bilem nigram intelligit humorem nigrum. Hęc enim duo non esse idem, iam sæpius diximus. Bilis enim nigra est præter naturam, calida sicca, humor verò niger est naturalis, frigidus & siccus. Humoris ergo nigri color, est oleaceꝰ. Bilis verò nigræ color, est planè niger. Porro cum multa sint oleorū genera, aliud enim est flauū, vt si oliuæ valdè naturæ fuerint: aliud viride, vt si acerbæ, aliud ruboris nescio quandam speciem referēs: cū, inquam, tot sint olei colores, certè cum dicit, humoris nigri colorem esse oleaceum, illud, quod nescio quem rubore refert, videtur intelligendum. Nam humor niger, nec flauus plane, nec viridis vllo modo putandus est.

Humoris nigri color est oleaceus.

Bilis nigræ color est planè niger.

ἔστι δέ γε καὶ κατὰ τὴν γεῦσιν τὸ αἷμα γλυκύ.

Eſt autem ſanguis guſtatui dulcis.

Sanguis eſt dulcis.



E ſaporibus humorum hoc loco diſputationem ſuſcipit, à ſanguine vt à præſtantiore initio ſumpto, quē dulcem facit. Dulcem autem eſſe teſtatur Ariſto. in. 3. de animalium hiſtoria. Sanguis (inquit) integer, rubet, ac dulcis ſaporis eſt. Et Galenus in libro de atra bile: ſanguis (inquit) maiore ex parte dulcis apparet. Ex quibus perſpicuum eſt quum dicitur ſanguinem eſſe dulcem, naturalem & integrum, atque verum, eſſe intelligendum, nō eum qui vel putrefactione, vel exuperante aut deficiente coctione, vel admixtione cum aliis humoribus, de naturali habitu eſt deiectus. Sed cauſam, cur ſanguis fiat dulcis inueſtigemus, prius explicantes quid ſit ſapor, & quomodo in rebus dulcibus, dulcis ſapor gignatur. Sapor, vt definitur ab Ariſtotele in libro de ſenſu & ſenſili, eſt abſterſio quædam, ſeu percolatio partis terreſtris ſiccæ, per humidum aqueum, facta à calore, quæ poteſt afficere guſtatum, eumq́ue ex poteſtate in actum, operationemq́ue propriā ducere. Aduertas tamen Ariſtotelem nolle ipſum ſaporem eſſe percolationem, ſed qualitatem quandam, natam ex ea percolatione, ſcilicet cum humidum aqueum, non aereum, percolatur per partem terreſtrem ſiccā, vel

Marginal notes: C.19 — *Qui ſanguis ſit dulcis.* — *Sapor quid* — C.4.

hæc per illud. Vnde alij, definierunt saporem hoc modo. Sapor est qualitas producta ex humido aqueo, admixto cum sicco terrestri, calore digerente & concoquente humidum cum sicco terrestri admixtum, quæ afficit sensum gustatus. Sapor autem dulcis generatur, si calor perfectè & moderatè digerit ac concoquit humidum aqueum sicco terrestri admixtum, non autem ipsum consumit, vt in vua benè matura cernitur, in qua calor solis benè & moderatè coquit illud humidum. Galenus etiam in quarto de simplicibus medicamentorum facultacultatibus tradit, cuiq; corpori dulcedinem prouenire à moderato calore. Quibus hoc modo constitutis, intelligi facile potest, cur sanguis, scilicet integer & naturalis, sit dulcis, nimirum quia fit à moderato calore hepatis atque venarum. Si enim calor ventriculi, venarum mesaraicarum, & hepatis fuerit moderatus, & capiantur cibi bonis præditi succis, dulcis semper generabitur sanguis. At si calor moderato fuerit multo vel superior vel inferior, qui inde orietur sanguis, alium quàm dulcem, saporē habebit.

Sapor dulcis quomodo generetur.

Ca. 10.

Sanguis cur sit dulcis.

πικρὰ ἡ ξανθή.

Bilis flaua, amara.



FLauæ bilis saporem amarum constituit. Quod toties in operibus Galeni est inculcatum, vt aliqua eius authoritate, non putem esse probandum. Sed melius erit si causam vene

Sapor amarus quomodo gignatur.

mur, cur ipſa amarum ſaporem obtineat. Id quod facile intelligetur, ſi prius, quomomodo ſapor amarus gignatur, aperiamus. Gignitur autem ſi calor adeò coquit humidum aqueum ſicco terreſtri admixtum, vt illud planè conſumat & exiccet. Vt videre licet in pane aduſto, in quo, actione caloris clibani, exiccatur humidum, atque ſiccũ terreſtre dominatur. Vnde intelligi licet, ſaporem amarum per ſe eſſe ſiccum: & ſicciorem etiam, & magis terreſtrem, quàm ſit ſalſus. Animaduertẽdum tamen hoc loco eſt diligenter, illam amari ſaporis ſiccitatem, interdum eſſe à frigido, ſed plerumque à calido. Quo fit vt pleraque amara ſint calida: nonnulla verò contra ſint valdè frigida, vt opium quod amarum eſt, adeò tamen eſt frigidum, vt membrorum reſolutionem faciat, & nimio frigore interficiat. Verùm ſi quęras quodnam amarum fiat à calido, & quodnã à frigido, mihi hac in parte Auerrois ſententia vehementer probatur: inquit enim eam amaritudinem fieri à frigido, quæ eſt rudimẽtum quoddam aliorum ſaporum: quod cernimus in plantarum fructibus, qui principiò ſunt amari ſicciq; plurimum, ac frigidi, vtpote qui ſunt imperfectiſsimi: Poſtea humore, & ſicco aduenientibus, fiunt acerbi, deinde auſteri, poſtea acidi, tum dulces. Horum itaque amaritudo, vt perſpicuum eſt, à frigido exiſtit. Si vero amaritudo ſit alicuius naturæ perfectio, non rudimentum, vt in abſinthio, in aloe, & ſimilibus, profectò vt in pleriſque omnibus, amaritudo illa eſt à calido, ita huiuſmodi omnia ferè ſunt calida, niſi habuerint partes alias frigidiores inſipidas, ex quarum vi contingat rẽ

Sapor amarus eſt ſiccior ſalſo.

Sapor amarus interdũ à frigore, & ideo talia amara ſunt frigida.

Sapor amarus interdũ à calore, & ideo talia amara ſunt calida.

totam esse amaram & frigidam. Cum res ita habeat, certè amarus sapor, & etiã salsus, eò quod sunt valdè sicci, plurimumque terræ habent, ineptissimi omnium sunt ad nutriendum, quum minimè omnium separari & immutari possint: Idcirco reiiciuntur à calore naturali, & subsident in excrementis, nec alimento immiscentur, quippè quos natura aspernetur & reiiciat. His hoc modo constitutis, quatuor de flaua bile possũnt intelligi, primum cur sit amara, alterum à quonam an à frigore an à calore sit amara, tertium cur sit calida, postremũ cur sit ineptissima ad alẽdum. Flaua itaq; bilis amara est, ꝓpterea ꝙ illius humoris qui nominatur bilis flaua, calor adeò coxit humidum aqueum sicco terrestri admixtum, vt illud planè cõsumpserit, & exiccauerit. Est autem amara non à frigore sed à calore, quia amaritudo flauę bilis nõ est vt rudimentum saporum, sed tanquam postrema concoctio eorundem. Est verò calida, quoniã amaritudo illius est à calore non à frigore. Nã cum humidum aqueum sit absumptum, remanseritque sola pars terrestris, hæc veluti adusta, vim caloris retinet, vt fex vini adusta solet. Est denique ad alẽdum ineptissima, propterea quod est valde sicca, plurimumque terræ habet ita, vt non posit separari & immutari.

Amara & salsa ineptissima ad nutriendum.

Bilis cur amara.

Bilis est amara à calore nõ à frigore.

Bilis cur calida.

Bilis cur inepta ad nutriendum.

καὶ ὀξῦα ἡ μέλαινα.

Et nigra, acida.

Humor niger acidus.


Ilis nigrę saporem acidum facit, per bilem nigram, humorem nigrum ac naturalem intelligens. In quinto autem de partium vsu non solum acidam, sed & acerbam eam facit. Quod autem (inquit) non lædit quicquam ventrem melancholica superfluitas, saporis qualitas ostēdit. Acerba enim cum sit, & acida atra bilis, congregare & constringere eum, nō sicut flaua subuertere, nata est. Causa autem cur humor niger sit acidus nobis erit cognita, si quomodo sapor acidus gignaturexplicetur. Sapor itaque acidus fit à calore diminuto, id est, qui non planè concoxit & miscuit humidum aqueum cum terrestri sicco: vel, qui propterea diminutus est, quòd ex mixto illo corpore arido, exhalauit pars calida purior seu mitior, aer inquam. Hoc saporis genus propinquum est dulci sapori, & ei præcipuè dulci, qui vinosus est, Quem intuemur in vinis, & moris, ceterisq; vinosis fructibus qui cum fiunt maturi, postquam desierunt esse acerbi, neque adhuc sunt dulces, acidi saporis fiunt, ob imperfectionem caloris aerei, qui cum exhalet, euadunt acidi. Sic ex vino fit acetum, cum calor aereus exhalat à vino. Acidus ergo sapor frigidus est, quamuis contineat aliquas partes calidas adustiores, & terrestriores, ac propterea earum vi abstergat, mordicet, consumat, exiccet. Acerbus autem sapor fit cum calor nihil concoxit humidū aqueum sicco terrestri admixtum. Idcirco hic est omnium frigidissimus Galeni sententia. His ita positis, iam causam intelligere licet, cur humor ni

Humor niger acerbus.

Sapor acidus quomodo gignatur.

Acidus est propinquus dulci.

Acetum fit ex vino exhalante calore aereo.

Sapor acerbus quomodo fiat.

ger ſit acidus, nimirum quia calor non planè coxit & miſcuit humidum aqueum, cum ſicco terreſtri, quæ duo ſunt in humore eo qui humor niger nominatur. Verum hoc non euenit peccato caloris, ſed ratione materiei illius nigri humoris, quippè cum in temperato homine temperatus ſit calor, & tamen humor niger in eo eſt acidus. Cum etiam Galenus eum appellet acerbũ, cauſa cur ſit acerbus ex ſuperioribus intelligi poterit, nimirum quia in eo calor nihil concoxit humidum aqueum ſicco terreſtri admixtum. Cæterum cum Galenus appellat eum acerbum & acidum, non eſt intelligendum, eundem humorem nigrum habere hos duos ſapores, niſi ratione partium diuerſarum. Hoc enim fieri non poteſt. Nam in ſapore acerbo calor nihil concoxit humidum aqueum, in acido verò concoxit magna ex parte. Sed intelligendum eſt humorem nigrum interdum eſſe acerbum, vt ſi in eo nihil calor coxerit humidum, interdum acidum, ſi coxerit quidem, ſed non planè. Cauſa ſimiliter intelligi poteſt, cur humor niger ſit frigidus. Si tamen ſit acerbus, eſt frigidiſsimus, ſi acidus minus frigidus. Quod quò melius poſsis intelligere, hoc ordine ponendi ſunt ſapores. Acerbus, auſterus, acidus, pinguis, dulcis, ſalſus amarus, acris. Acerbus enim Galeni ſententia omnium eſt frigidiſsimus, acris verò calidiſsimus. Tres priores ſunt frigidi, duo medij temperati, tres poſtremi calidi. Acerbus, vt dixi, eſt omnium frigidiſsimus. Auſterus eſt magis frigidus quàm acidus, & minus quam acerbus. Pinguis & dulcis ſunt temperati, ſed dulcis magis, quã pinguis. Sal-

Humor niger cur acidus.

Humor niger cur acerbus.

Humor niger cur ſit acidus ſimul & acerbus.

Humor niger, cur frigidus.

Saporũ ordo.

ſus eſt calidus ſed minus quàm amarus, hic autem minus quàm acris, ſed magis quàm ſalſus. Acris verò vt dictum eſt, omnium eſt calidiſsimus. Quomodo autē humiditas & ſiccitas, hos ſapores conſequantur, ſigillatim explicare, nimis lōgum eſſet, nec inſtituti noſtri.

τὸ δὲ φλέγμα ἄποιον μὲν πρώτως, εἶθ' ἁλυκόν, εἶτ' ὀξὺ, καὶ προσέτι γλυκύ.

Pituita autem primum eſt qualitatis expers, deinde acida, tum dulcis, & præterea ſalſa.



Vibuſnam ſoleat ſaporibus prædita eſſe pituita, docet. Atque ait primum eſſe ἄποιον, id eſt qualitatis expertem, hoc eſt expertem ſaporis. Vſurpauit enim ἄποιον ꝓ ἀγεύστῳ Nō autē eſſe eam qualitatis omnis expertem, hinc poteſt intelligi, quia non caret colore, diximus enim eam eſſe albam: Nec frigore & humore. Initiò nanque demonſtrauimus eam frigidam eſſe ac humidam. Nec craſsitie. Paulo poſt enim Galenus aſſeret eā craſſam eſſe. Quare cum pituitam hîc dicit primum eſſe expertem qualitatis, intelligēdum eſt expertem eſſe ſaporis ſeu inſipidam eſſe. Item expertem eſſe odoris. Nā quæ carent ſapore, ea omnia nullum habent odorem. Quod auri exemplo confirmat Ariſto. in li-

Pituita non eſt qualitatū expers.

Pituita eſt expers ſaporis & odoris.

bro de ſenſu & iis quæ percipiuntur ſenſibus. Eſt ergo inſipida pituita. Inſipidus autem propriè nõ eſt ſapor, ſed ſaporis priuatio: Non tamen ita, vt omne inſipidum omni prorſus ſapore careat, ſed quòd plurima parum ſint admodũ ſapida, vt vix ſentiantur. Inſipida ferè omnia, ſunt aquea Ea nã que eſt natura aquę, vt per ſe careat ſapore omni, capax tamen ſit veluti prima ſaporum materies, cuiuſcunque generis ſaporis. Inſipidũ autem guſtatu percipitur. i. iudicatur, quẽadmodũ aſpectu pcipiũtur tenebrę & lumen. Habitus enim & priuationis, eiuſdẽ ſenſus eſt iudiciũ. Deinde (inquit Galenus) eſt acida, tum dulcis, & præterea ſalſa. Quæ omnia explicauero, ſi prius admoneam hũc locum in codice græco videri mendoſum. & verba aliter traiecta eſſe quàm debeant. Nam græca ſi eo quo habentur ordine conuertantur, ſic erunt conuertenda. Pituita primũ eſt qualitatis expers, deinde ſalſa, tũ acida, & præterea dulcis. Sed hæc verba non habere verum & naturalem ordinẽ ſic doceo. Hîc agitur de ſaporibus, qui p cõctionẽ cõparantur, at quod ſalſum eſt per coctionem non poteſt nec acidũ nec dulce fieri. Quod planè intelligetur, ſi quomodo ſapor ſalſus gignatur, aperiamus. Salſus ſapor fit à calido ſicco nõ ad modũ ſubtili, ſed terreſtri: Illud quo pars aquea colatur, eſt aduſtũ, parũque in eo ſupereſt aquei humoris. Tale quippiã eſt illud, in quo primo eſt ſapor ſalſ9: Verũ ab exiguo huiuſmodi, poteſt infici magna aquę copia, totaq; ſalſa fieri admixtione exiguæ portionis ſalſæ. Salſa ergo in quibus primò ineſt ſalſedo, ſunt calida & ſicca, nõ tamẽ habẽt ca

Inſipidus nõ eſt ſapor.

Inſipida qualia ſint.

Inſipidũ guſtatu iudicatur.

Error codicis græci.

Sapor ſalſus quomodo gignatur.

lorẽ adeo tenuẽ, vt aromata quæ ſapore acri ſũt ꝑdita. His ita conſtitutis, ſi quæ ſalſa ſunt, eadẽ ſint calida & ſicca: quæ verò ſunt acida, & dulcia plurimum humiditatis habeãt, ſi etiam id quod ſiccũ eſt per concoctionẽ non poſsit fieri humidũ, ꝑfectò efficitur vt pituita nõ ſit primũ ſalſa, tũ acida, poſtremò dulcis, ſed erit primũ acida, deinde dulcis, poſtremò ſalſa. Quod planè intelliges, ſi quæ demõſtraui ſuperi⁹ de ſapore acido & dulci, rectè perceperis. Nam omnes ſapores ad tria genera maxime vniuerſa reuocari poſſunt. Quidam enim ſapores ſunt veluti exordia quædam naturarum ſaporum, in quibus natura non conſiſtit, ſed ab eis ad perfectionem progreditur. Nonnulli verò ſapores perfecti ſunt, in quib⁹ natura ſiſtit. Alij verò ſunt quædam priuationes & interitus naturarum: In primo genere continentur ſpecies ſaporum crudorum, vt ſapor acerbus, auſterus, acidus, per quos natura progreditur ad generationẽ perfectorum ſaporum, qualis eſt pinguis & dulcis. In ſecundo genere continentur ſpecies ſaporum maturorum, vt pinguis & dulcis. Hos enim natura propoſitos habet. In tertio ſpecies ſaporum rerum intereuntium vt ſalſus, amarus, acris. A perfectione enim mixtarũ regreditur natura per diſſolutionem ad elementa. Animaduertas tamen velim, vniuſcuiuſque rei ſaporem habentis, eſſe propriam dulcedinẽ, ita tamen vt vnius dulcedo, alterius comparatione, amaritudo eſſe videatur. Vt cũ in abſinthio perfectè & exquiſitè humidum aqueum ſicco terreſtri admixtum coxerit calor, iam abſinthium ſuam dulcedinem habet. Verum ſi hæc

Saporũ tria genera.

Cuiuſque rei ſapidæ eſt ꝓpria dulcedo.

omnia euidentiſsimis rationib⁹ vellē demōſtrare, certè meritò ab inſtituto meo diſedere viderer. Cōcludam⁹ ergo hęc verba rectè nō videri collo
C.2. cata. Sed mihi obiicies Galenum, qui in libro de atra bile hoc eodem ordine, hęc quatuor videtur collocaſſe, quum inquit. Apparet pituita omnis qualitatis expers, veluti aqua. Verum naturali qualitate mutata, non modò ſalſa, ſed acida etiam fit. Quin & non rarò dulcem qualitatem acquirit. Quibus perſpicuum eſt, & ibi pituitam dici primum eſſe qualitatis expertem, tum ſalſam, deinde acidam, poſtremò dulcem. An ibi non agatur de ordine, quo per coctionem introducuntur ſapores, ideoq́ue non fuiſſe abſurdum, hoc potius quàm illud præponi? At hic magni intereſt. An etiam tibi opponere poſſē Galenum, qui in ſecundo de differentiis febrium ita eas collocat, acidam dulcem, ſalſam? Quoniam autem quatuor pituitæ ſpecies hoc loco Galenus attingit, nec de ipſis in hoc libro aliud quicquam tradit, ad abſolutam humorum tractationem inueſtigandū putaui, quot & quales ſint pituitæ ſpecies. Quas vt facilius inueniamus, ratione diuidendi vtamur, ac primum ea quam in ſecundo de facultatibus naturalibus
C.9. Galenus attingit. Pituita omnis eſt naturalis, aut non naturalis. Naturalis eſt pituita inſipida, non naturalis vero triplex eſt, ſcilicet, acida, dulcis, ſalſa. Atque hoc modo quatuor erunt pituitæ ſpecies: Pituitam autem inſipidam, eſſe naturalem, teſtatur Galenus in libro de atra bile, cum inquit, appa ret autem pituita omnis qualitatis expers, veluti aqua, verum naturali qualitate mutata, fit modo

Obiectionis ſolutio.

Pituita naturalis.

Pituita inſipida naturalis eſt.

Pituita dulcis naturalis est.

ſalſa modò acida, modò dulcis. Sed Galenus in.2. C.9. de facultatibus naturalibus, facit pituitam naturalem, non inſipidam, ſed dulcem, quum inquit. Sanè aduertere hoc loco, ac ſcire oportet, tanquã ex bilis generibus, aliud vtile naturaleque in animalibus ineſt, aliud inutile ac præter naturam, ſic pituitæ quod dulce eſt, id ſalutare eſſe animanti & naturale. Videbitur ergo Galenus ſibi contrarius. Poteſt ad hoc breuiter dici, pituitam poſſe eſſe naturalẽ, aut ſuiipſius ratione, aut ratione animalis. Pituita inſipida ſuiipſiꝰ ratione, eſt naturalis, & etiã magis quã dulcis. Quod intelligit Gal. in libro de atra bile. Pituita verò dulcis ratione animalis, eſt naturalis, & magis quàm inſipida. Siquidem illa ferè proximè poteſt nutriri animal. In ſecundo autem de afferentiis febrium, quatuor pituitæ ſpecies conſtituens, vnam addit, nempe vitreã, hîc prætermiſſam: & vnam prætermittit, hîc poſitam, inſipidam nimirũ. Eius verba hæc ſunt. At vero ſcias huius humoris plures eſſe differentias. Nam vna quidẽ ſpecies eius eſt admodũ frigida ita, vt maximos dolores adferat, quum in locum calidum impacta eſt. Et ſæpenumero multos dolores eorũ qui colici dicũtur, ex acri clyſmate, tali humore euacuato, ſtatim ſedatos intueri licet. Hic autẽ humor videtur ſimilis aſpectu vitro fuſo. Altera verò ſpecies pituitę eſt, quam excreantes ſępe expuunt, quãdam ſenſibilem obtinẽs dulcedinem. Cõſtatque eam nequaquã poſſe eſſe omnino frigidã ſi recordamur eorũ quæ libro de ſimpliciũ medicamentorũ viribus docuimus. Tertia præterea pituitæ ſpecies eſt, quæ ipſis expuentibus acida ſenti

Contradictionis ſolutio. C.6.

tur,ac minus quam vitrea, magis quam dulcis frigida eſt. Quemadmodũ alia ſalſa habetur, aut ob putrefactionem, aut ob permixtionem ſalſæ ſeroſe humiditatis. Paulo poſt tamen Galenus inquit, pituitam vitream forſitan acidæ qualitatis eſſe participem, ita vt omnes eius differentiæ tres exiſtãt, acida, dulcis, ſalſa. Verum quamquam acida & vitrea ratione ſaporis ſint idẽ, tamẽ ratione frigoris & conſiſtentiæ non ſunt idem. Nã pituita vitrea eſt magis frigida magiſque craſſa, quàm pituita acida. Diſtinctę ergo erũt inter ſe. Quaꝓpter quinq; erunt pituitæ ſpecies ex ſuperioribus collectæ, inſipida, acida vitrea, dulcis, ſalſa. Atque hæ omnes pituitę ſpecies ſumptę ſunt à ſaporibus. A cruditate autẽ & à conſiſtẽtia aliæ ſumũtur. In libro enim de plenitudine paulo ante finẽ facit humorẽ crudum, qui eſt pituitæ ſpecies, cum nec ſanguis, nec bilis, aut flaua aut nigra eſſe poſsit, & eſt etiam diſtinctus à commemoratis pituitæ ſpeciebus. Galeni verba, quò mihi maior fides adhibeatur ſubiũgam. At liquet etiã (inquit) crudã, quæ humor crudus nominatur, inter pituitę ſpecies in pręſenti ſermone ponẽdã eſſe. Etenim ſi diuerſam ab illo ſtatuamus, præter plenitudinis differentias, quas nuper retulimus, neceſſe eſt eiuſdẽ quoq; humoris diſcrimẽ apponere. Eſt autẽ humor hic pituita craſsior, minuſq; flatulẽtus, qualis in vrinis ſubſidet, maxime iis qui copioſũ ex voracitate ſedimẽtũ, elixis fabis ſimile, continent. Atqui talis humor ſæpè illis vniuerſim, per aluũ ductus eſt, qui ab exercitiis quidẽ abſtinuerũt, cibis autẽ liberatiſsimè vſi ſũt balneiſque à paſtu. Imò & huic humori ſicut pitu

Pituita acida & vitrea non ſunt idẽ.

Crudus humor ad pituitam refertur

Humor crudus quid à pituita differat

Humor crudus in quo cũ pituita conueniat.

itæ, albedo quædam decolor in toto corpore sub sistit. Inter reliquas pituitæ species, alia dulcis est, alia acida, alia salsa. Prior somnolentos facit, altera quum abundat famelicos, tertia sitibundos. Cruda verò, cibis fastidium parit. Aliæ pituitæ prædictæ paulo maiorem naturali somnum conciliant. At crudus humor quemadmodum dulcis pituita manifestè somnolentos effecit. Hæc ille: Ex quibus intelligere licet humorem crudum planè non esse pituitam, propterea quòd est magis crassus quam pituita, sed minus flatulentus, Sed tamen ad pituitam esse reuocandum, quoniam albus est quemadmodum pituita. Nec dicere poteris humorem crudum esse pituitam vitream. Nam vitrea pituita est particeps acidæ qualitatis, vt in secundo de differentiis febrium testatur Galenus, C.6.

Humor crudus à pituita vitrea est diuersus.

quemadmodum pituita acida. Ergo vitreæ pituitæ erit famelicos efficere, at humor crudus (inquit Galenus) efficit somnolentos vt pituita dulcis. Itaq; humor crudus à pituita vitrea erit diuersus. Quod etiam confirmat Galenus in tertio de C.5. locis affectis inquiens. Alia quidem pituita similaris quidem videtur, licet fortasse similaris non sit, qualis est crudus humor, tum is qui à Praxagora vitreus appellatur. Quapropter quinque illis commemoratis pituitæ speciebus, sexta, nimirum humor crudus, addenda erit. Sed & septima quoq; videbitur adiungẽda. Galenus nanq; in innumeris penè locis ἰχῶρ ponit, id est aquosum seu serosum excrementum, quod nonnunquam & pituitam aquosam nominat. Præterea cũ id quod continetur in venis, aut sit humor aliquis, aut ad a-

liquem humorem reuocari debeat, & aquoſum excrementum quod in venæ ſectionis ſanguine cernitur, nec ſit aliquis ex primis humoribus, nec videatur niſi ad pituitam poſſe reuocari, illud certè confectum erit, ſeroſum excrementum ad pituitam reuocandum eſſe. Septem ergo ex Galeni ſententia pituitæ ſpecies conſtituemus. Nunc mihi explicandæ eſſent ſigillatim cauſæ, & cur vnaquæque pituitæ ſpecies talem ſaporem habeat, & cur talem colorem, & quonam in loco generetur vnaqueque: ſed ſi quæ de procreatione ſingulorum ſaporum dixi, tenes: ſi etiam quæ de cauſis colorum cuiuſque humoris demonſtraui, perſpecta habes: ſi denique quæ de loco cuiuſque humoris ſuperius diſputaui, non te latent, certè iiſce de rebus fuſius quicquam mihi non erit dicendum. Melius itaque erit, ſi memoriæ conſeruandæ gratia, tabellam quandam ſpecierum pituitæ apponamus.

Pituitæ ſpecies alia eſt

- Naturalis, carens ſapore, odore.
- Non naturalis.
  - Pituita vitrea. — Generatur in ventriculo, ex cibis aut multis, aut pituitoſis, aut vtriſque, calore imbecilli exiſtẽte. Eſt frigida maximè.
  - Pituita acida. — Generatur vt vitrea. Sed ab ea differt, quia vitrea eſt frigidior & craſsior. Aciditatem habet à calore, qui multum abeſt à temperato.
  - Pituita dulcis. — Dulcedinem habet à calore, qui nõ multum abeſt à temperato. Eſt minimum frigida.
  - Pituita ſalſa. — Salſedinem habet, aut ob putredinem. ſ. cum putreſcit, aut ob admixtionem ſalſæ ſeroſæ humiditatis, lotium & ſudorem facientis.
  - Pituita aquoſa. — Salſa eſt: generatur in venis, ex naturali, vel alia in aquoſã ſubſtantiã reſoluta.
  - Humor crudus. — Longa oratione à Galeno ſuperius eſt depict⁹

Si quis autem ſcire vellet, quibus rebus aliquæ (de nonnullis enim dubitatio nulla eſt) pituitę ſpecies inter ſe diſtinguantur, is ſic habeat. Pituita vitrea ſeu albuminea eſt frigida inſigniter, & maximè humida, cruda, lenta, craſſa, ſed minus quàm humor crudus. Pituita acida & dulcis frigida eſt, & maximè humida, cruda, non autem craſſa, propter multum humorem, & ſpiritum flatulentum.

Singulæ pituitæ ſpecies quomodo inter ſe diſtinguatur.

Dulcis tamen minus frigida, minuſque cruda quam acida, exiſtit. Humor autem crudus eſt frigidus & humidus, ſed minus quàm pituita acida & dulcis, caret etiam lentore, craſſus eſt, ſed magis quàm pituita vitrea. Eſt quoque talis, quale eſt id, quod in vrinis ſubſidet puri ſimile aliquando, quod non videtur conuenire aliis pituitæ ſpeciebus. Horum omnium notas ſi obſeruaueris diligenter, quibus inter ſe diſtinguantur pituitæ ſpecies, perſpectum habebis. Illud autem hoc loco admonendum putaui, quoniam Galenus in libro de plenitudine indicat, ex pituita gigni flatum, nonnullos putaſſe flatũ eſſe quãdã pituitæ ſpeciẽ. Sed flatui definitio pituitæ non conuenit. Hanc enim initiò diximus eſſe, humorem frigidum humidũ, ſubſtantia crudũ, colore ad alborẽ vergẽte, ſapore vel dulci, vel acido, vel ſalſo pręditũ, quãdo que oĩs qualitatis expertẽ. Præterea ſi quod ex pituita generatur ad pituitã eſſet reuocãdũ, ad eam quoque ręuocaretur bilis nigra, quã ex pituita generari ſuperiꝰ demõſtrauimus. Inſuper pituita vt corpus eſt, deorſum, flatus verò omnem in partem fertur: odoratus enim, huius rei eſt teſtis. Quoniam autem ſæpiſsimè Galenus appellat pi-

Flatus nõ eſt pituitæ ſpecies.

Ob consisten tiam & lentorem, non sunt facie͂dæ diuersæ pituicæ species à superioribus.

tuitam crassam, & viscosam, seu lentam, seu glutinosam, seu mucilaginosam, (his enim nominibus medici vtuntur) non credat quis ob id, duas alias pituitę species esse faciendas, siquidem crassum & viscosum sunt duæ veluti accidentia specierum pituitæ superius commemoratarum. Nam si sit quædam pituita vel crassa, vel viscosa, vel vtraque, illa erit vel vitrea vel salsa, vel aliqua ex iis, quas in tabella depinximus.

Pituita gypsea quomodo fiat.

Eodemque modo pituita gypsea non videtur distingui ab illis, nisi duritie. Nam si pituita crassa & lenta, magis ac magis indurescat, gypsi certo quodam modo speciem videbitur imitari.

Pituitæ species vndecim

Si tamen quis & pituitam flatulentam, & pituitam viscosam, & pituitam crassam, & pituitam gypseam facere velit, easque esse pituitæ species, & inter se, & à superioribus distinctas, profectò pituitę species, vndecim faciendæ videbu͂tur, scilicet insipida, vitrea, acida, dulcis, salsa, aquosa, humor crudus, flatulenda, crassa, viscosa, gypsea.

Pituitæ species omnes præter naturam, ad tres causas reuocantur.

Verum omnes pituitæ species præter natura͂, ad tres causas efficientes, videntur reuocari posse. Fiunt enim aut ob putrefactionem, aut ob admixtionem cum aliis, aut ob co͂coctionem, eamque aut nimiam, aut infra modum consistentem.

Εἰσὶ δὲ καὶ τῆς μελαίνης τέσσαρες αἱ διαφοραί. ἡ μὲν γάρ ἐστιν ἀπὸ τῆς τρυγίας τοῦ αἵματος. ἡ δὲ ἐξ ὑπεροπτήσεως τῆς ξανθῆς. ἡ δ' ἀσφαλτώδης, διὰ τὸ στίλβειν ἀσφάλτου δίκην, ἡ δὲ. *

Sunt autem nigræ bilis differentiæ quatuor. Vna enim est ex sanguinis fæce Al-

tera ex aſſatione bilis. Tertia bituminoſa dicitur, eò quòd luceat bituminis inſtar: Quarta autem.



Vemadmodum & bilis flauæ, & pituitæ ſpecies commemorauit, ita bilis nigrę ſpeciesadnumerat. Intelligendũ eſt autem id quod ſuperius etiam docui, bilem nigram eſſe calidã, ſiccam, mordacisſimam, & eſſe ſpeciem quandam. Eam tamen loco generis hîc Galenus vſurpat, cum ita à veteribus medicis eſſet factitatũ. Per bilem ergo nigrã intelligit omnem humorem nigrum in nobis exiſtentẽ, ſiue ille naturalis ſit, ſiue à naturali ſtatu deſciuerit. Quatuor itaque bilis nigræ ſpecies facit, primam ex fæce ſanguinis, & hæc eſt naturalis, & *Humor niger naturalis*
Ca. 9 propriè dicitur humor niger, vt teſtatur Galenus in ſecundo de facultatibus. De quo quoniam multa diximus ſuperius, hoc tempore nihil dicendum putamus. Altera ſpecies eſt ex aſſatione bilis, quæ *Bilis nigra* præter naturam eſt, & propriè bilis nigra nominatur. Quam ex bile flaua generari, initiò & Galeni authoritatibus, & rationibus demonſtraui, vt hîc *Bilis bituminoſa.* non ſit longiore oratione vtendum. Tertia eſt bituminoſa, & cur bituminoſa dicatur, continuò ſubiungit, nimirum à ſimili, quia luceat bituminis
Ca. 100. inſtar. Bitutemen autem iudaicum (inquit Dioſcorides libro primo) cæteris anteponitur. Cuius *Bitumen* probatio eſt, vt purpuræ modo ſplendeat, ſitque pon

Bituminosa ex quibsnam gignatur.

derosum ac validum odorem vibret. Nigrum autem & sordidum vitiosum est. Hanc bilem nigrā bituminosam, existimarē gigni ex humore nigro. Nam bilem nigram, gigni ex humore nigro apertè testatur Galenus, nonsolum in. 2. de facultatibus naturalibus verū etiam mille aliis in locis. Co

Bituminosæ c.lor vnde

loris ergo solū causa inuestigāda nobis erit. Cū autem Galenus superius fecerit humorem nigrū oleaceum, profectò rationi consentaneū est, vt humor niger, qui habet colorem oleaceum, per assationem acquirat bituminis & colorē & splendorem, pręsertim cum sit bituminis gen⁹ quoddam, oleo simile, vt testatur Dioscoridesin loco modò citato inquiēs. Bitumē liquidū inuenitur in Agragantino Siciliæ fontibus innatans: quo vtūtur ad lucernarum lumina, olei vice. Sed si de procreatione bituminosæ bilis, mihi Galenum opponas, qui in libro definitionum medicarum sic scripsit. Quatuor melancholici humoris differentiæ sunt: Primus est elementarius. Deinde qui ex superassata flaua gignitur bile, quem bituminosum quoque nominamus, quòd bituminis instar splendeat. Et qui ex terrificata seu putrefacta pituita oritur. Et qui ex fœculento sanguine consistit. Tibi ad hoc duobus modis respondere possum, altero, permultos egregiè doctos, illum librum esse Galeni, negasse: altero, quamquam sit, attamen vt ex flaua bile superassata gignitur bilis nigra bituminosa, ita hanc eand exē humore nigro gigni nihil impedire. Quarta autē ac postrema bilis nigrę species, quęnam sit, non facilis intellectu est, cum longinquitate & iniuria temporum exciderit, man-

ſeritq; hic locus planè mutilatus. Sed ſi quis eũ velet inſtaurare, atq; quartã bilis nigræ ſpeciẽ facere γυψώδης. i. gypſeã, ſeu gypſi formã quãdã, referẽtẽ, hoc nõ rectè factũ videretur. Nam oẽs bilis nigrę ſpecies, nigrorẽ quẽdã referre debẽt, vt vel nomẽ ipſũ facillimè ĩdicat. Gypſũ autẽ quis neſcit eſſe album? Quare ſi dicas bilẽ nigrã gypſeã, perinde eſt, ac ſi diceres nigrũ eſſe albũ. Quod ridiculũ eſt. Exiſtimarẽ itaque hũc locum perficiendũ eſſe, vt quarta nigræ bilis ſpecies ſit αἱματώδης id eſt ſanguinea ſeu ἐξ ὑπεροπτήσεως τοῦ αἵματος id eſt ex aſſatione ſanguinis. Neque hanc quartam putes idem eſſe quod prima. Nã aliud eſt bilis nigra ex fęce ſanguinis, & aliud bilis nigra ex aſſatione ſanguinis. Bilis enim nigra ex fęce ſanguinis, propriè dicitur à Galeno humor niger, & eſt naturalis, vt dixi initiò, & frigidus ſiccus. Bilis autem nigra ex aſſatione ſanguinis, propriè dicitur bilis nigra, & eſt præter naturam, & calida & ſicca. Quod autem Galenus voluerit ex aſſatione ſanguinis fieri bilem nigram, apertè teſtatur in ſecũdo de victus ratione in morbis acutis, inquiens: Ex ſanguine quidem plus calfacto flaua bilis generatur, ex eodem verò aſſato & aduſto, atq; etiã craſſo, nigra. Vides ne quomodo iis paucis verbis dicit bilem nigram fieri ex aſſato aduſtoque ſanquine? Similiter bilem nigram fieri etiam ex craſſo ſanguine? Sanguinem craſſum, à ſanguine ſimpliciter ſũpto diſtinguens. ſanguinem craſſum nominans ſanguinis fæcem, quam propriè humorem nigrum appellat nonnũquã. Hoc propterea dixi, ne forte quis ſubterfugiens, diceret Galenum, cum inquit bilem nigram

Bilem nigrã gypſeam facere ridiculum eſt.

Bilis nigra ſanguinea.


Com. 30.

oriri ex ſanguine, intelligendum eſſe, oriri ex craſ ſo ſanguine, ſeu ſanguinis fęce. Nam, vt dixi, diſtin guit ſanguinem, à craſſo ſanguine. Bilem nigram ex ſanguine generari tradit Galenus & in ſecundo de differentiis febrium, & in aliis penè innumerabilibus locis, quos ne ſim longus, ſilentio inuoluere volo. Aut certè illa bilis nigrę ſpecies, quę iniuria temporum excidit, eſt φλεγματώδης, id eſt pituitoſa, ſeu ex pituita genita. Nam bilem nigram non ſolum ſecundum cõſiſtentiam & eſſentiam, ſed etiam ſecundum colorem ex pituita gigni, ſuperius demonſtrauimus. Cum enim conſtet à calore pręter naturam colorem porraceũ introduci, qui viridis eſt, viridis autem color ad nigrũ potius, quàm ad candidum referatur, quid impediet ne in pituitam introducatur nigror? Non quidem exactus, ſed color talis, qui ad nigrorem poſsit referri. Sed ſi res ita habeat, bilis nigræ quinque erũt ſpecies. Cur ergo hîc quatuor tantum facit? An quia ſub prima ſpecie, comprehendat quoque bilem nigram ex ſanguine procreatam? Cũ ergo ſint quatuor bilis nigræ ſpecies, non poſſum non mirari doctos quoſdam medicos, qui bilis nigræ præter naturam, vnicam tantum, ex Galeni ſententia ſpeciem faciant. Nam etſi hunc librum non viderint, attamen in libro de atra bile, aliam facit bilem nigram ex humore nigro, & aliam ex bile flaua. Quas inter ſe conferens inquit, quantò bilis flaua eſt deterior humore nigro, tantò bilis nigra quæ gignitur ex bile flaua, eſt deterior ea, q̃ gignitur ex humore nigro. In commẽtariis etiã in Hippo. de victus ratione in morbis ac. facit bilem ni-

gram ex ſanguine, diſtinguens à bile nigra ex craſſo ſanguine. Quapropter quamquam hunc Galeni librum nunquam habuiſſemus, attamen ex varis locis, Galeni ſententia, tres bilis nigræ ſpecies pręter naturam, animaduertere & colligere poteramus. Non recordor tamen me apud Galenum apertè legiſſe, ex pituita fieri bilem nigram, niſi fortaſsis hoc tradiderit in iis eius operibus, quibus caremus. In libro autem definitionum medicarum hoc apertè traditur, ſed librum eum non pauci Galeni eſſe pernegant. Initiò tamen tertij decimi de methodo medendi, aſſerit omnem humorem craſſum, quodammodo eſſe melancholicum: Et epilepſiam à pituita craſſa & melancholico humore C.5. naſci, in tertio de locis affectis: Et pituitam vel ſub amaram, & calidam vrendo fieri in melancholia flantulenta eodem libro. Arabes tamen hoc voluerunt, quod & nos confirmauimus initiò, vbi docuimus eò quòd ex febre quotidiana fit tranſitus in quartanam, ex pituita fieri bilem nigram. Sed vt & bilis & pituitæ tabulas tradidimus, ita idem de bile nigra faciamus.

Galenus nõ tradidit apertè ex pituita fieri bilem nigram.

Arabes apertè tradiderunt ex pituita fieri bilem nigram.



Quoniam autē Galenus ſanguinis ſpecies hoc libro non affert, eas omnes breuiter perſequi inſtitui, ne quid in hiſce noſtris cōmētariis, quoad fieri poteſt, deſideretur. Galeni tamen authoritates omnium ſpecierum non adhibebo, tum quia nimis longus eſſem, tū quia quod dicā, cuiuis in medicina mediocriter verſato, à Galeni ſententia, nō abhorrere, exploratum maximè erit. Sanguis itaque omnis, aut eſt naturalis, aut non naturalis. Naturalis & optimus cognoſcitur his ſignis, colore, ſapore, odore. Colore quidem, quia ſanguis optimus & pulcherrimus, multum rubet, in venis pręſertim. Sapore, Dulcis enim eſt, propterea quod fit à moderato calore. Odorem autem talem ſemper efflat, qualis eſt eius ſapor, ſcilicet ſuauem ac dulcem. Hiſce etiam tribus potiſsimū ſignis, ſpecies omnes ſanguinis præter naturam cognoſcuntur. Quæ omnes hoc ordine ponantur.

Sanguis naturalis quibus notis cognoſcatur.

Sanguinis ſpecies alia eſt.
- Naturalis, hoc eſt ſyncerus, & ab aliis humoribus ſecretus.
- Non naturalis.
  - Sanguis bilioſus & flauus.
  - Sãguis melãcholicus & ater.
  - Sanguis aquoſus.
  - Sanguis pituitoſus & albicãs.
  - Sanguis picæ liquidæ ſimilis.
  - Humor ſanguini craſſo & nigro ſimilis.

Duas poſteriores ſanguinis præter naturã ſpecies, Galeni authoritate confirmare ob eam quidem cauſam volo, quoniam non ſunt vt cæteræ tam vſitatę. Inquit ergo Galenus in libro de atra bile hunc in modum. Eſt quum pituitoſus humor in ſanguine vehitur, ſicut vniuerſus longè craſsior, nigriorq́ue eſt, vt ſubinde liquidam picem repræſentet. Vocatur ergo, qui ex venis & arteriis effunditur, qualiſcumque ſit, vna ſanguinis appellatione, vt cuius nulla ex prædictis differentia, proprium nomen obtineat. Omnis ſane concreſcit protinus, licet in carnoſam partem ad imum vſque diuiſam effundatur. Cæterum alius quidam humor ſanguini craſſo &

Humor sanguini similis non concrescens.

nigro similis, non rarò vomitu & deiectionibus excerni conspicitur, non tamen concrescens, quã tumuis in aere nos ambiente permaneat. Atque hunc ipsum aliquando vomentes, acidum simul & acerbum sentiunt, interdum nullam insignem qualitatem habet, neque dulcedinem, vt sanguis, neque salsedinem, quemadmodum interim sanguis & pituita, neque amarorem, sicut flaua bilis. Hæc Galenus de duabus postremis sanguinis speciebus. Qui nõnũquam dicit sanguinẽ inspidum, aliquando crassum, interdum tenuem. Sed non existimarem has sanguinis species esse faciendas, aut certè innumerabiles, quum sanguinis epitheta talia, propemodum infinita offendantur.

ἔστι δ' ἐπὶ τούτοις, τὸ θ' αἷμα, τό, τε φλέγμα παχέα τὴν σύστασιν, καὶ ἡ μέλαινα. λεπτὴ δὲ καὶ κούφη καὶ ἀνωφερὴς ἡ ξανθή, ὥσπερ οἱ ἕτεροι δύο χυμοὶ βαρεῖς. τὸ δὲ αἷμα μεσάζει τῷ μετέχειν θερμότητος.

Ex iis autem, & sanguis, & pituita, & nigra bilis crassam consistentiam habent. Bilis autem flaua est & tenuis, & leuis, & sublimipeta, quemadmodum reliqui duo humores sunt graues. Sanguis autem medius est participatione caloris.


E humorum consistentia hoc loco primum agit, tum de eorumdem grauitate & leuitate. Consistentia autem est triplex, tenuis scilicet, mediocris, & crassa. Tenue corpus est illud, quod parum materiei habet, magna quãtitate comprehensum, vt aer, & magis ignis. Crassum verò est, quod plurimum materiei habet, exigua comprehensum quãtitate, vt lapis, plumbum. Quare si sumatur libra lanę, libraque plũbi, sensu percipi potest, cur libra lanæ maiorẽ molem, quàm plũbi habeat, nimirũ quia lana tenuis est atque rara, & parum materiei habet plurimum extentum. Plumbũ autem crassum densumque, & plurimum materiei, etiam plurimum coactum obtinet. Mediocre autem, scilicet ratione consistentiæ, est quod mediocrẽ materiei molem habet, mediocri quantitati subiectã, vt musculorum caro, vel simile quid in eo genere. His hoc modo constitutis & rectè intellectis, cum Galenus inquit, ex humoribus, sanguinẽ, & pituitam, & nigram bilem habere crassam consistentiam: & bilem, tenuem, facilè poterunt intelligi omnia. Existimarem autem ego sanguinem non crassa, sed mediocri moderataue consistentia præditum esse. Nam initiò docuimus sanguinẽ esse moderatè calidum, mox dicemus esse moderatè grauem, cur ergo non erit moderata consistentia prę ditus? Prętereea si ex maximo frigore, sequitur consistentia maximè crassa: & ex maximo calore, consistentia maximè tenuis, vt in terra & igne cernere licet, certè rationi consentaneum est, vt ex mo-

Consistentia est triplex

Tenue corpus quid.

Crassum corpus quid.

Mediocre corpus ratione consistentiæ, quid.

Sanguis mediocrem consistentiã habet

derato calore ſequatur cōſiſtentia moderata, ſanguinis autem calor eſt moderatus. An ergo Galenus errauerit? Arbitrarer ego hunc locum eſſe mendoſum & mutilatum atque ita vt eſt, ab aliquo imperito eſſe conſarcinatum, atque hoc modo eſſe perficiendum. Ex humoribus autē ſanguis mediocrem, pituita verò & nigra bilis craſſam cōſiſtentiam habent. Sed ſi forte hic locus nō ſis deprauatus, cum Galenus ſanguinē habere craſſam conſiſtentiam tradit, ad bilem flauam facta comparatione, intelligendum erit. Verum per ſe ſpectatus videtur habere moderatam conſiſtentiam, bilis autem flaua tenuem: pituita verò & nigra bilis.i.humor niger craſſam, ita tamen vt humor niger magis craſſam, quàm pituita obtineat. Cæterum per bilem nigram, vt admonui, humorem nigrum intelligas oportet. Hic enim craſſus valde eſt, bilis verò propriè nigra aliquando quàm flaua eſt tenuior. Nunc ad alterum pronūciatum quod eſt de grauitate & leuitate humorum orationem noſtram conuertamus. Illud initiò admonentes hoc ſecundum pendere ex primo. Nam ex craſsitie ſequitur grauitas, craſſa enim omnia ſunt grauia, magis tamē & minus, ꝓ craſsitiei ratione. Eodemque modo ex tenuitate ſequitur leuitas. Hæc duo in terra & igne quotidie vides. Inquit ergo Galenus bilem flauam eſſe & tenuem, & leuē, & ſublimipetam. Ex primo ſecundum, & ex ſecūdo tertium ſequitur. Nā eò ꝙ bilis flaua eſt tenuis & rara, ſequitur eā eſſe leuē, eò autē ꝙ leuis, ſequitur eā eſſe ſubimpetū.i. ſuperū locū natura capeſſere. Ob eāque cauſam ſuperius fecit aures locū, per ꝗ

Error codicis græci.

Bilis, pituitæ & humoris nigri conſiſtētia qualis ſit.

Ex craßitie, grauitas

Ex tenuitate leuitas.

Bilis flaua tenuis, leuis, & ſubimipeta.

effluerct atque expurgaretur flaua bilis. Verum si cum humore aliquo graui fuerit coniuncta, infe-rum vnà cum eo putet locum. Deinde Galenus inquit reliquos duos humores.i. pituitam & humorem nigrum esse graues. Idque non immeritò. Nā si ea quæ crassa sunt, sint grauia, vt sensu quotide percipimus, & pituita, humorque niger sint crassa, efficitur profectò vt ij duo humores sint graues. Quæ & deorsum ferentur, vt bilis flaua sursum. Denique subiungit sanguinem esse medium: & cum hîc de grauitate & leuitate agat, certè non potest intelligi nisi de medio inter grauitatem & leuitatem. Quasi dicat sanguinem esse mediocrem seu moderatū in grauitate & leuite. Quod probat à participatione caloris. Sed hic locus sic videtur tractandus. Sanguis est moderatè calidus, vt initiò demonstratum est, ergo moderatam cōsistentiam habet. Nam si ex maximo colore sequitur tenuis consistentia, & ex frigore maximo, cōsistentia crassa, certè ex moderato calore sequetur moderata consistentia. Ex moderata autem consistentia proficiscitur moderata grauitas & leuitas, vt ex maximè crassa consistentia, maxima grauitas, & ex maximè tenui consistentia, maxima leuitas. Hoc loco non dicam duplicem esse grauitatem, alteram simpliciter, vt: in terra, alteram ad aliud comparatione facta, vt in aqua & aere: similiter duplicem esse leuitatem, alteram simpliciter vt in igne, alteram ad aliud vt in aere & aqua, quoniam hæc tum copiosè explicaui, cum initio huius libri demonstrarē, cur elemēta in proprio loco permaneant semper. Dicam ta

Pituita & humor niger crassi.

Sanguis est medius in grauitate & leuitate.

Duplex grauitas.

Duplex leuitas.

Nullus humor est simpliciter vel grauis vel leuis.

men illud, quamquã ex humoribus aliquis sit grauis, & aliquis leuis, attamem nullus ex illis potest esse vel grauis simpliciter, vel simpliciter leuis. Simpliciter enim & grauitas & leuitas, solum in primis corporibus insunt, At quatuor humores non sunt prima corpora, sed ex primis corporibus cõstant. Illud autem etiam atque etiam consyderandum est, quãquã pituita & humor niger sint graues, bilis flaua leuis, sanguis medius in grauitate & leuitate, attamen humores in corpore animalis beneficio grauitatis & leuitatis non moueri. Si enim ita mouerentur, profectò in inferiore animalis loco, solum esset humor niger & pituita, ita tamen vt in infimo esset niger humor, proximè verò pituita, nihil autem sanguinis esset, nihilque bilis. Similiter in medio animalis corpore esset solum sanguis, non autẽ humor niger, pituita, & flaua bilis. In supremo verò esset solum flaua bilis sine humore nigro, pituita, & sanguine. Præterea si beneficio grauitatis & leuitatis mouerentur sursum & deorsum vt in hac vniuersitate distĩgũtur, profectò in iis animantibus quæ prona ingrediuntur, in dorso esset omnis flaua bilis, in medio ventris omnis sanguis, in musculis epigastrij omnis & humor niger & pituita. Atque ita nec in parte anteriore, nec in posteriore vll9 esset humor. Quod sensui repugnat. Quomodo ergo mouebuntur?

Humores in animalis corpore non mouetur ob grauitatem & leuitatem.

Humores in animalis corpore mouentur ab animæ facultatibus.

Hoc præclarissimè à Galeno in libris de facultatibus naturalibus est explicatum. Vbi euidentissimis exemplis docet in vnaquaque parte corporis, quatuor animæ facultates inesse, scilicet attrahẽdi illud ꝙ naturale ac familiare est (biliosę enim par

tes bile, pituitosæ pituita, sanguineæ sanguine, melancholicæ melancholia nutriuntur) concoquendi: retinendi illud quoad concoquatur: expellēdi, scilicet excrementum illud, quod ex ea concoctione oritur. Si res ita habeat, ꝑfectò ꝑspicuū est, humores moueri in animātis corpore vel tractu, vel pulsu, vel vtroque. Vtroque dico, vt si pars aliqua pituitosa, sit pituita alenda, & pituita sit alicui parti sanguineæ molesta, pars pituitosa trahet ad se pituitam illam, & pars sanguinea eam tanquam opprimentem, à se propulsabit. Pituita ergo illa simul & tractu & pulsu mouebitur. Ex quibus perspicuum esse potest, omnem eum humorem, qui tractu simul & pulsu cieatur, moueri citius, quàm si vel solo pulsu, vel solo cieatur tractu. Idem etiam dici potest, de humoribus qui deorsum feruntur, scilicet citius moueri ad partes infernas, quàm ad supernas. Nam ipsi sunt graues, cū ex primis corporibus conflentur, magis tamen & minus, pro ratione terræ dominantis. Quo fit, vt quatenus sunt talia corpora, deorsum ferantur. Præterea à facultate attrahendi partium inferiorum, attrahuntur. Motu ergo proprio, & tractu partiū, humores inferas partes petunt. At si ad partes superiores perueniant, solo tractu feruntur, ita vt illi tractui humores, quatenus sunt corpora grauitate prædita, nonnihil obsistant. Velocius ergo ad partes corporis nostri inferiores alendas mouebūtur humores, quàm ad superiores.

Humores mouētur tractu, vel pulsu vel vtroque

Humores citius deorsum attrahuntur quā sursum.

ἔοικε δὲ τὴν ὑγείαν χαρακτηρίζεσθαι τῇ τούτων ἰσότητί τε καὶ συμμετρότητι.

Videtur autem valetudo in animantium corporibus veluti imprimi, humorum æquabilitate & ſymmetria.



E effectis humorũ, ſeu de iis quæ humores conſequuntur, hoc loco incipit diſputare, ac primum de valetudine. Quam ait in animantium corporibus eſſe, & veluti imprimi æquabilitate & ſymmetria humorum. Non ſolum dixit æquabilitatẽ, ſed & ſymmetriam adiunxit, vt hoc vno vocabulo complecteretur ea omnia, quæ debent habere ipſi humores, vt valetudinem cõſtituere poſsint. Nam ſymmetria humorum, comprehendit eorũdem quãtitatem conuenientem, & qualitatem, & locum, & ordinẽ, & ſi quę ſint generis eiuſdem, Æquabilitas autem propriè ſolam attingit quantitatem. Ariſtoteles enim in categoria quantitatis, docuit maximè proprium quantitatis eſſe, vt eius beneficio res æquales & inæquales dicerentur. Cæterum cum Galenus inquit, valetudinem in animantium corporibus ineſſe ab ęqualitate humorum, non eſt intelligendũ humores æquales mole & quantitate eſſe oportere, vt ſint omnes, exẽpli gratia, vt ſex, vel vt decem. Sed æquabiles erũt ſi in conſtitutione vniuſcuiuſque partis, ea ſit ſin-

Symmetria quanta complectatur.

Æquabilitas quantitatis eſt.

Humores quomodo æquales eſſe debent vt conſtituant valetudinem.

gulorum humorũ quantitas, vt vnaquæque pars eam actionẽ vel exerceat, vel exercere poſsit, quæ naturæ illius ſit accomodata, ſeu vt talem exerceret, eam natura eſt fabricata. Quoniam autem & ſymmetriæ & valetudinis Galenus mẽtionẽ facit, vtrumque quid ſit, breuiter dicamus. Symmetrõ inquit Galenus in primo de temperamẽtis, eſt medium inter extrema. Vnde colligere poſſum⁹ ſymmetriam eſſe mediocritatem quãdam, inter extrema poſitam. In primo autem de ſanitate tuenda indicat ſymmetriam eſſe debitam conuenitiam rerum inter ſe. Sed ex iis duobus locis, & hoc quem modo explicamus colligere poſſumus hanc abſotam ſymmetriæ definitionem. Symmetria eſt conuenientia multarum rerum, rem vnam aliquam conſtituentium, poſita in conſentanea quantitate, qualitate, loco, ordine, & ſi quę ſint eiuſdem generis. Symmetria autem, vt tradit Galenus in primo de ſanitate tuenda, duplici ratione non ſolum perficitur, ſed etiam dicitur, aliâs quæ ad ſummũ peruenit, & verè prorſuſque ſymmetria eſt: aliâs quæ ab huius abſolutione perfectioneq; paulum deficit: vtique & ſanitatis ſymmetria duplex quædam fuerit: hæc quidem exacta, optima, abſoluta, ſumma: illa paulo ab hac deficiens, non tamen eatenus, vt animali ſit grauis. Nunc quid ſit valetudo, ſeu ſanitas exponamus. Galenus in primo de differentiis morborum eam hoc modo definiuit, ſanitas eſt ſymmetria quædam. In primo autem de ſanitate tuenda abſolutiorem attulit eiuſdem definitionem, inquiens, ſanitas eſt ſymmetria calidi, frigidi, humidi, & ſicci. Eius verba hęc ſunt. Sa-

Symmetron quid.

C. 3.

Symmetria quid.

Symmetria duplex.

Symmetria ad ſummum

Symmetria deficiens.

C. 2.

Sanitas quid

nitas omni sectæ symmetria quædam est: nobis calidi, frigidi, humidi, sicci. Aliis corpusculorum & meatuũ, quos ὄγκους καὶ πόρους græci vocant. Aliis insectiliũ, vel incompactiliũ, vel partium dissimilarium similarium úe, vel denique primorum elementorum cuiuscunque, sed secundum cuiusque sectę opinionem, pro ipsorum modo, membrorum nostrorum actiones reddimus. Hæc ille. Verùm cũ duplices sint in nobis partes, aliæ similares, alię dissimilares, in eodem quem modo citaui libro Galenus duplicem sanitatem attingit, alterã similariũ alteram dissimilarium. Sanitas similarium partiũ, est symmetria calidi, frigidi, humidi, sicci. Sanitas dissimilarium est, symmetria posita in figura, numero, magnitudine, & compositione similarium. Ceterùm cum hîc Galenus dicat sanitatem positam esse in symmetria quatuor humorum, in primo autem de sanitate tuenda in symmetria calidi, faigidi, humidi, & sicci, quærere ex me aliquis posset, vtrum aliquid intersit. Cui respondeo illa quatuor latius patere quàm humores, cum nõ solum in animantibus, verùm etiam in plantis aliisque rebus insint. Sed cum Galenus inquit sanitatem esse symmetriam calidi, frigidi, humidi, sicci, non vult quamuis symmetriam eorum quatuor esse sanitatem, sed talem, scilicet eam quæ constituit humores & partes similares. Quæ si hoc modo intelligantur, aut nullo modo, aut non admodum diuersã videbuntur.

Sanitas duplex.

Sanitas partiũ similariũ

Sanitas partiũ dißimilarium.

ἐνδεόντων δὲ αὐτῶν ἢ πληθυνόντων παρὰ τὸ δέον, ἢ ποσότητι, ἢ ποιότητι, ἢ τόπων μεταστάσει, ἢ συμπλοκῇ ἀτάκτῳ, ἢ σήψει κακωθέντων αἱ νόσοι συμβαίνουσιν,

Deficientibus autem iisdem, aut exuperantibus præter modum, vel quantitate, vel qualitate, vel locorum mutatione, vel coniunctione ordinem non habente, vel putredine, ob malam collocationem morbi, cõtingunt.



Liud effectum, quod ab humoribus manat, his verbis exponit, nimirum morbum. Quemadmodum enim symmetriam humorum causam efficientem faciebat sanitatis, ita hoc loco exuperantiam & defectionem humorũ facit causas interimentes valetudinem & effectrices morbi. Vt ergo in moralibus mediocritas in rebus agendis, virtutem moralem procreat, exuperantia autẽ & defectio eandem labefactant, & vitium gignunt, vt in 2. ethicorũ pulchrè docuit Aristoteles, ita symmetria humorum sanitatem efficit, exuperantia vero & defectio eorundem, sanitatem funditus tollunt, & morbum introducunt. Quot autẽ modis contingat humores, aut exuperare aut deficere, subiungit, quinque nimirum, scilicet vel quantitate, vel qualitate, vel locorum mutatione, vel

Causæ interimẽtes valetudinem.

C. 2.

Causæ effectrix valetudinis

Humores quot modis exuperãt & deficiunt.

coniunctione ordinem non habente, vel putredi ne ob malam collocationem. Humores exuperãt quantitate, si aut omnium, aut sanguinis solius, aut pituitæ, aut bilis tũ flauæ tum nigræ maior & amplior sit copia, quàm esse debeat: deficiunt quãtitate, si minor. Humores exuperant qualitate, si sint aut calidiores, aut frigidiores, aut humidiores, aut sicciores, aut calidiores & sicciores, aut calidio res & humidiores, aut frigidiores & sicciores, aut frigidiores & humidiores sint, quàm deceat: deficiunt qualitate si minus calidi, frigidi, humidi, sicci sint, quàm oporteat. Humores exuperant locorũ mutatione, si citius, quàm debeant, de loco in locum moueantur. Docui enim paulo ante humores moueri per corpus, & quonampacto mouerentur. Si ergo chylus in ventriculo, exempli gratia, duas horas manere debeat, atque ante hoc tempus egrediatur, dicitur exuperare mutatione loci. Idem intelligas euenire in quauis alia corporis parte. Quæ omnia tibi maximè cognita erunt, si in libris de facultatibus naturalibus fueris benè versatus: Deficiunt mutatione loci, si tardius moueãtur, quàm debeant. Humores exuperant coniunctione inter se ordinẽ non habente, quia si humores in constitutione alicuius partis ordinem quendam natura habere debeant, vt exempli gratia sanguis sit primus, pituita secunda, bilis nigra tertia, bilis flaua, quarta, & talis ordo mutetur, ita vt primum locum obtineat pituita, secundum sanguis, tertium bilis flaua, quartum nigra, tum humores dicentur exuperare coniunctione ordinem non habente.

Humores quomodo exuperent & deficiant quantitate.

Humores quomodo exuperent & deficiant qualitate.

Humores quomodo exuperẽt & deficiant loci mutatione.

Humores quomodo exuperent coniunctione.

Huiuſmodi autẽ coniunctio ordinem non habẽs maximã habet latitudinẽ, vt alia ſit deterior alia. Ergo humoresdicũtur exuperare cõiunctione ordinem non habente, cum in partium conſtitutione eum ordinem non habent, quem natura præſcripſit. Quomodo autẽ deficiãt tali cõiunctione, nõ eſt explicatu facile. Sed crederẽ hãc cõiunctionem ſolũ referẽdã eſſe ad vocabulum exuperãtię, non etiã defectionis. Humores deniq; exuperant putredine, cum, nõ quando plus iuſto putreſcũt: non enim animali ſecũdum naturã ſe habente, putreſcere debent: ſed cum quantumuis putreſcunt. Putredo autem, vt Ariſtoteli placet, in quarto meteororũ, eſt interitus naturalis caloris à calore externo. Hi enim duo calores inter ſe pugnant, alterque ab altero diſſoluitur. Diſſoluto autem, ſeu extra naturæ limites affecto naturali calore, à calore extraneo, mixtum corrumpitur. Nam forma rei mixtæ primo ineſt calori naturali, ac per eum continet reliqua omnia elementa viciſſim mixta. Euaneſcente forma, diſſolutóque calore, humidũ aqueũ, aëreumque, ſimul euaporãt, eſt enim caloris fomẽtũ & materia. Terræ pars demũ diſpergitur & diſſoluitur in cineres. Humores vero non poſſunt dici deficere putredine .i. in putreſcendo non eò peruenire, quò deberent. Vt exiſtimarem putredinẽ ſolum ad exuperãtiã referri oportere. Quocirca ex illis quinq;, tria ſolũ exiſtunt, ſcilicet quantitas, qualitas, & locorũ mutatio, q̃ referũtur & ad exuperantiã & ad defectionẽ. Reliqua verò duo, nimirum coniunctio ordinem non habens, & putredo, ad ſolã exuperãtiã, nõ etiã ad defectio

Humores quomodo exuperent putredine.

Ca. 1

Putredo quid.

nem. Quare ex iis colligi poteſt duas cauſas interimentes eſſe, ſcilicet exuperãtiam & defectionem. exuperantiam autem quinque modis, defectionẽ verò tribus poſſe contingere. Illud Galenus in primo de differentiis morborũ ſic confirmauit, ſymmetria duobus modis labefactatur, nempe exceſſu & defectu. C 4.

ὥσπερ καὶ λέγεται τοὺς νόσους συμβαίνειν τῇ τῶν χυμῶν ἀμετρίᾳ

Quemadmodum & dici conſueuit morbos accidere humorum ametria.



Communi omnium conſenſu confirmat, deficientibus vel exuperantibus humoribus, aut vno, aut pluribus, aut omnibus illis modis commemoratis morbos cõtingere animalibus. Nam ſi omnes dicunt morbos accidere ametria, certè vel deficientibus vel exuperantibus humoribus, eo quo dictum eſt modo, accidãt neceſſe eſt. Vbi Galenus exuperantiam & defectionẽ humorum reuocat ad ametriam, veluti ad vnũ caput, quemadmodum in moralibus exuperantia atque defectio ad vitium. Quid ſit ametria, facilè poteſt intelligi, cum quid ſymmetria ſit, explicatũ iam ſit à nobis. Contrariorum enim contrariæ definitiones cõſtituẽdæ ſunt. Si enim ſymmetria ſit congruens conuenientia multarum rerum, rem vnam aliquam componentium, poſita in conſentanea earum quãtitate, loco ordine, & ſi quæ ſunt

Exuperãtia & defectio humorum reuocatur ad ametriam.

generis eiuſdem, profectò ametria erit, inepta cõ-
uenientia multarum rerum, rem vnam aliquam *Ametria quid.*
conficientium, poſita in diſſentanea earum quan-
titate, qualitate, loco, ordine & quæ ſimilia ſunt.

καθὰ καὶ τὴν ὑγείαν ἐπανέρχεσθαι ἀφαιρέσει καὶ προθέσει καὶ λεπτό-
τητι, καὶ παχύτητι τῶν χυμῶν, καὶ ἁπλῶς τῇ εὐκρασίᾳ, καὶ συμ-
μετρίᾳ αὐτῶν,

*Sicuti & valetudinem reſtitui detra-
ctione & additione, & præterea tenuita-
te & craßitudine humorum, & omnino
eucraſia & ſymmetria eorundem.*



Ommuni cõſenſu ſtabiliuit, mor
bum poſitum eſſe in ametria hu-
morum, hîc communi conſenſu
confirmat, quod paulo antè citra
probationem vllam poſuerat, ſci
licet ſanitatem in humorum ſym
metria & eucraſia (retineamus verba græca rem
planè & propriè exprimentia, eaque teramus pro
latinis) eſſe collocandam. Quibus ſanè verbis nos *Quatuor mo-*
docet perditam valetudinem quatuor modis poſ *dis perdita*
ſe reſtitui, nimirum detractione, additione, tenui- *valetudo re-*
tate & craſsitudine humorum. Duo illa priora eſt *cuperatur.*
ab Hippocrate mutuatus, qui in libro de flatibus,
hunc in modum medicinam definiuit. Medicina
eſt adiectio & ſubtractio. Adiectio quidem defi- *Medicina quid.*

cientium,ſubtractio vero eorum,quæ in corporibus hominum redundant.Quæ definitio cū multis aliis in locis, tum vel maximè in vndecimo de methodo medendi à Galeno comprobatur, cum nulla ſit medicinæ pars,quam hæc definitio ambitu ſuo non cōplectatur.Cum enim primæ ac maximę eius partes ſint duæ, quarum altera ſanitatē tuetur, altera morbos propulſat,ſanitatem certè præſentem,non niſi adiectione & detractione ſeruabimus,omiſſam verò,iiſdem recuperabimus.Si ergo in corpore redundarit ſanguis, aut venæ inciſione,aut cucurbitulis, aut è naribus ꝓfluuio excitato,aut aliquo alio modo,eum detrahemus.Sin verò defecerit,cibis boni ſucci, & qui facile coquantur,& ſimilibus potionibus, additis denique iis omnibus,quę ſanguinis copiam magnam generare poſſunt,eundē addemus. Eodēque modo ſi pituita abundat, phlegmagogis medicamētis eam euacuabim⁹, ſi defecerit cibis & potionibus pituitā generantibus, in animantis corpora introducemus.Idem de bile tum flaua, tum atra dicendum. Adiectioni & detractioni Galenus addit & tenuitatem & craſsitudinem.Nam humores naturæ lege certam quandam conſiſtentiam habere debent, quæ modum habet naturæ ſuæ accomodatum,quem ſi vel tranſeant,vel ab eo deficiant, animal malè habeat neceſſe eſt. Si ergo humores plus iuſto fuerint craſsi,attenuandi, & ſi plus quā oporteat,ſint tenues,craſsi efficiendi erunt. Sanguis itaque ſi magis,quàm deceat craſſus eſſe conſiciatur, cibis & potionibus tenuem ſubſtantiam habentibus erit emendandus,cui rei vinum tenue

C.2.

Adiectione aut detractione humorum recuperatur ſanitas.

Tenuitate & craßitie humorum facta,aliquando recuperatur ſanitas.

est accomodatum maximè. Si tenuis, contra, cibis crassis potionibusque similibus. Similiter si pituita sit plus iusto crassa, oxymelite tū simplici, tum composito, serapio acetoso, serapio & de duabus, & de quinque radicibus, & aliis plerisque rebus poterit tenuior effici. Si verò tenuior fuerit æquo, rebus paulo crassioribus, quarum tabellam superius depinximus, ad naturalem consistentiam reuocabitur. Eodemque modo si flaua bilis sit iusto tenuior, & in corpore retineri debeat, refrigerantibus & humectantibus corrigetur. Dixi, si debeat in corpore retineri, quoniam si debeat euacuari, non debet crassior effici, facilius enim educitur cum tenuis est, quàm cum crassitudine coniuncta. *Bilis si debeat expurgari non est crassa efficienda.*

Denique si humor niger sit crasior moderato, tenuior reddetur, secrapio de lupulis, serapio de fumo terræ, de bisantiis, & aliis penè innumeris rebus: si tenuior, rebus sanguinem crassum gignentibus, quas omnes commemoraui, cum causas & nigræ bilis, & nigri humoris adnumerarem, emendandus erit. Quatuor itaque cum sint, quibus restituitur valetudo, ea omnia & si quæ alia sint ad vnum veluti caput omnia reuocat, nimirum eucrasiam, seu symmetriam. Præceptum enī generale est, sanitaté restitui eucrasia, seu symmetria. Symetria quid sit, dictum est, Quid autem eucrasia sit, dicamus: atque hoc modo quid inter vtramque intersit cognoscetur. Galenus in primis de temperamentis sic scripsit. Illud modo in ea determinantibus nobis, quod vbi simpliciter substantia quæpiam eucratos, siue temperata dicitur, tum hac alia siccior, alia humi- *Eucratos quid.*

C.4.

humidior, alia frigidior, alia calidior, eo loco eã, quæ ex cõtrariis qua prorſus inter ſe portione coeuntibus conſtet, eucraton ſiue temperatam nominari: Quæcunque verò ab hac deficiunt, ſuperantque aliquo, ea ſuperantis nomine vocari. Ex quibus Galeni verbis intelligi poteſt, eucraton eſſe mixtionem quandam, quæ ex contrariis æqua prorſus inter ſe portione coeuntibus cõſtet. Quæ definitio ad eucraſiam etiam accomodari poteſt. *Eucraſia quid.* Galenus autem in primo de ſanitate tuenda duplicem eucraſiam facit his verbis. Cum eucraſia duplex omnino ſit, altera quę in animantium ſaltem *Eucraſia duplex.* corpore, cogitatione potius vſurpetur, quam ſolidè ſubſiſtat: altera quæ in ſanis omnibus ſubſiſtit atque apparet: hanc rurſus à nobis diuidi par eſt, quippe in qua non parua diuerſitas inueniatur. Vide *Eucraſia & ſymmetria idem.* quæ ſequuntur. Atque hæc omnia ſi intellexeris, tibi exploratum erit, inter eucraſiã & ſymmetriam nihil intereſſe. Ob eamque cauſam hæc duo vocabula ſimul Galenum coniunxiſſe, non vt res diuerſas ſignificaret, ſed vt alterum alterius explicatio & illuſtratio eſſet.

ὡς ἐν τῷ ἕκτῳ τῶν ἐπιδημιῶν τῷ ἱπποκράτει ἄριστα λέγεται. χυμοὺς, τοὺς μὲν ἐξῶσαι, τοὺς δὲ ἐνθεῖναι, λεπτῦναι, κατακεράσαι. τῇ μὲν, τῇ δὲ, μὴ κατὰ γάρ τοι τὴν αἰτίαν τῶν παθέων τὴν ἀκολουθίην τῶν βοηθημάτων ποριζονται. χρὴ γὰρ ἀκριβῶς εἶναι κεκραμένους ποιότητι, καὶ ἴσους ποσότητι τοὺς χυμοὺς, ἵν᾽ ὑγεία τε διαμένῃ, καὶ μὴ οὐδ᾽ ἐπανελεύσηται.

Vt in sexto de popularibus morbis ab Hippocrate præclarè est dictum: humorum, hos quidem educere, oportere, hos autem immittere, attenuare, temperare, hac re quidem, hac verò non. Secundum enim causam affectuum effectricem, remedia inuestiganda sunt. Nam oportet humores exquisitè qualitate esse temperatos, & quãtitate æquales, vt valetudo permaneat, &, si absens sit, redeat.



Ommuni omnium consensu sanitatem in symmetria humorum esse collocatam probauit, hîc illud idem, Hippocratis authoritate cuius illustris & peruagata fama est, confirmat. Hippocratis verba libenter transcribam, tùm vt aliquid luminis huic loco afferam, tùm vt intelligatur hunc Galeni locum, quem interpretamur, esse mẽdosum: non quòd aliquid aut supersit, aut desit, aut falsum pro vero positum sit, sed quia verba non sunt rectè inter se distincta. Sed Hippocratis verba eos admonere debebãt. Inquit itaque Hippócrates. 6. epidemiorũ, initio sectionis secundæ hunc in modum. Dilatare, constringere, alia quidem, alia verò non. Humores alios quidem expellere, alios vè

rò ſiccare,alios autem videre & alia quidem parte,alia verò non. Attenuare,craſſe facere, corpus, cutem,carnes,& alia,& aliqua quidem,aliqua verò non.Lęuigare,exaſperare,indurare, mollire,alia quidem,alia non.Excitare,torpefacere & quæcunque alia huiuſmodi.Deriuare,ſuccedentia ſtatim reuellere,renitentibus concedere. Alium humorem,non prodeuntem ducere,prodeuntẽ verò ſimul effundere,operari ſimile, velut dolor dolorem ſedat. Hæc Hippocra. Vbi vides Hippocratem illa duo perpetuo coniungere, alia quidẽ, alia verò non, atque id optimè. Contextus verò Galeni qui ad manus meas peruenit, ſic habebat. τῇ μὲν, τῇ δὲ, μὴ κατ' γὰρ τοι τὴν αἰτιάν τῶν παθέων id eſt hac hac quidem re, hac etiam : Non enim ſecundum cauſam morborum effectricem, remedia inueſtiganda ſunt. Quid hoc eſt? Imò ſecundum cauſam effectricem morborum, remedia ſunt adhibenda. Quod niſi & pueris ipſis cognitum eſſe exiſtimarem, innumeris eorum, qui praxim tractant, & authoritatibus & exemplis confirmarem. Quare illa verba ſic erunt diſtinguenda. τῇ μὲν, τῇ δὲ μή: κατὰ γὰρ τοι τὴν αἰτίαν, id eſt, hac quidem re, hac verò non: Secundum enim cauſam effectricem morborum, remedia indaganda ſunt. Atque hoc modo & veritati & Hippocrati conſentanea erunt omnia: Sed ſingula Galeni verba ex Hippocrate citata, breuiter explicemus. Inquit ergo humorum alios educere oportere, alios immittere, alios attenuare, alios temperare, non quibuſuis rebus, ſed iiſce quidem, quę idoneæ accomodatæq; ſunt ad illa quatuor præſtanda, non autem hiſce, quæ non ſunt

Error codicis græci.

Remedia inuestiganda sunt pro ratione causarum morbos efficientium.

nec idoneę, nec aptæ. Non autem omnes res esse idoneas ad quemuis humorem educendum, attenuandum, immittendum, temperandum, deinde probat, propterea quòd secundum causam morborum effectricem remedia inuestiganda sunt. Si ergo causa morbi effectrix sit calida, frigidum: si frigida, calidum: si humida, siccum: si sicca, humidum remedium inuestigandum, & inuentum adhibendum erit. Eodẽque modo si causa duas qualitates habeat, remedium quod oppositas habeat qualitates illis duabus, exhibendum erit. Quare res omnes non erunt idoneæ. Sed hac quidem re quę idonea est, educere, immittere, attenuare, & temperare oportebit: hac verò, vt quæ non sit accomodata, non oportebit. Potuissem hæc, τῇ μὲν, τῇ δὲ μὴ, conuertere hac quidem parte, hac verò non: vt esset sensus in hac quidẽ corporis parte, vt vel capite, vel hepate, humores educere, immittere, attenuare, & temperare oportet, in hac vero, vt in pulmonibus, vel renibus, nõ oportet: sed Galeni verba, quæ sequuntur, me, vt ita conuerterem, admonuerunt. Potuissem etiam conuertere, hoc quidem remedio, hoc verò non. Quod autem pro varietate causarum morbos generantium oporteat remedia inuestigari, hac quidem ratione docet, quòd oporteat humores exquisitè qualitate esse temperatos, & quantitate æquales, si valetudo præsens debeat seruari, & absens redire: Atqui non quoduis remedium idoneum est, vt humores qualitate exquisitè sint temperati, & quãtitate æquales, sed illud solum, quod ad causam morbi tollendam accomodatum est,

ergo ſecundum cauſam morborum effectricem remedia inueſtiganda erunt. Intelligendum eſt autem cum dicit ἀκριβῶς, id eſt exquiſitè, non eſſe intelligendum illud temperamentum, quod medici ad pondus nominãt, de quo initio diximus multa, ſed illud, quod ad iuſtitiam appellant, quodque naturæ, cuiuſque rei accomodatum eſt. Intelligendum eſt etiam Galenum reuocare temperamentum humorum ad qualitatem, & eorum æqualitatem, ad quantitatem. De quibus quoniam ſuperius multa diximus, itemque quomodo humores educantur, inſerantur ſeu introducantur, attenuentur, & temperentur, nihil, ne bis idem dicere videamur, amplius explicandum putamus.

Temperamẽtum humorũ eſt qualitatis & æqualitas quantitatis.

Illud tamen admonere volo cum & hic, & in libro de conſtitutione artis medicæ dicit craſſum & lentum humorem eſſe attenuandum, tenuem verò eſſe incraſſandum, non de iis, quæ è corpore per medicamẽta ſunt vacuanda, ſed de iis potius, quæ in eo manere debent, adeoque in naturalem ſtatum redire poſſunt. Id quod eius verba euidentiſsimè demonſtrant. τὸ δ᾽ ἐπανελθεῖν δυνάμενον εἰς τὸ κατὰ φύσιν, ἀλλοιοῦν διὰ τῶν ἐναντίων, τὸ μὲν παχὺ καὶ γλισχρὸν λεπτύνοντα. τὸ δὲ λεπτὸν, παχύνοντα, id eſt, quod in naturalem ſtatum redire poteſt, contrariis alterare oportet. craſſum quidem & viſcidum attenuando, tenue verò incraſſando.

ὅθεν καὶ τῆς ὀνομασίας ἔτυχον ὄντες χυμοὶ, παρὰ τὸ χεῖσθαι ἅμα λεγόμενοι.

Cum enim appellationem aliunde habuerint liquores, ab eo, quòd vnà liquescant, dicti sunt omnes.



QVoniam Galenus dixit humores tēperatos esse oportere qualitate, & æquales quantitate, si valetudo debeat adesse. Nunc ab etymologia eorum docet facilè eos posse inter se temperari. Nam humores seu liquores dicti sunt à liquescendo, eò quòd liquescant, fundantur, & vna misceantur. Vnde Auicenna humorem sic definiuit. Humor est corpus humidum, fluidum, liquidum, in quod in primis nutriens conuertitur. Quasi dicat est actu fluens, seu substantia fluida. Nam aliquid esse humidum, potest duobus modis intelligi, natura vel substantia. Nam res quædā dicuntur substantia humidæ, quæ natura & potestate sunt siccæ: quædam contra: Nonnullæ verò vtroque modo, tàm natura, quàm substantia humidæ dicuntur. Idcirco dixit humidum fluidum. Animaduertendum est, autem, græcè etymologiam humorum esse maximè perspicuam, vt χυμοὶ ἀπὸ τοῦ χεῖσθαι: Sed latinis verbis nō potest exprimi. Sic enim hoc modo loquar, humores dicuntur à fundendo, quid hoc est? Vbi est vtriusque idem initium? Quocirca vt perspicuam efficerem alterius ex altero deductionem, coactus sum hoc loco χυμοὺς non humores sed liquores conuertere, præsertim cum ex latinis nōnulli, humores ipsos alio

C. de humoribus

Humoris etymologia.

Humor quid.

humidū duobus modis.

nomine nonnunquam appellarint liquores. Si er go hoc modo loquar, liquores dicuntur à liquescendo, quis non videt quomodo alterum ex altero deducatur? Multæ enim ſunt tales etymologiæ græcorum, quæ latinis verbis non poſſunt exprimi, niſi noua cudantur nomina. Nam græci dicũt αὐτόματον, dici ἀπὸ τοῦ μάτην, vt tradit Ariſtoteles in. 2. phyſicorum. Vbi vides perſpicuam coniugationẽ & deductionem in hiſce duobus nominibus μάτον & μάτην. Si autẽ latinè quis dicat caſus dicitur à fruſtra, vbi eſt coniugatio, vbi deductio? Eodemque modo in quinto phyſicorum Ariſto. aſſerit μεταβολὴ dici ἀπὸ τοῦ μετὰ ἄλλό τι. In quibus perſpicua eſt nominis ex nomine deriuatio. Si verò latinè dicas mutatio dicitur ab eo, quod eſt poſt aliquid aliud, vbi eſt coniugatio, vbi deriuatio? Aliæ ſimiles penè innumerabiles ſunt res & phraſes græcæ, quæ hactenus latinis nominibus & verbis non ſunt expreſſæ. Quocirca aut noua nomina latina erunt facienda, aut græcis vtendum, aut in perpetuis obſcuritatibus & tenebris verſandum. Non in tenebris manendum, cum menti humanæ hoc valdè repugnet, ſiquidem omnes homines natura ſcire deſiderant. Non græcis ſemper vtendum, quoniam qui gręcas literas nunquam attigerunt, res eas nullo modo poterunt intelligere. Noua ergo nomina nobis facienda erunt. Quod non ſolum authoritatibus permultis doctiſsimorum virorum, verum etiam rationibus demonſtraui in illis commentariis, quos in magna moralia Ariſtotelis conſcripſi, vt ad hanc rem confirmandam nõ ſit opus longiorem ponere orationem.

Multæ etymologiæ græcæ ſunt, quæ latinis verbis non poſſunt exprimi.

Noua nomina eſſe facienda.

C. 6.

δῆλον γὰρ ὡς εἰ τοῦτο ὑγιεία, τὸ μὴ τοιοῦτον, νόσος ἂν εἴη, ὥσπερ καὶ δέδεικται.

Perſpicuum eſt ergo, ſi hoc ſit ſanitas, quod non eſt tale, morbum eſſe, quemadmodum eſt demonſtratum.



Onſecutio hæc non ex proximis verbis, ſed ex tota ſuperiore diſputatione, in qua demõſtratũ eſt ſanitatem poſitam eſſe in ſymmetria humorum, morbum verò in eorumdem ametria, efficitur. Verum quis dicere poſſet Galenum hîc non rectè argumentari, cum inquit, hoc.i. ſymmetria humorum eſt ſanitas, igitur quod non eſt ſymmetria humorum, eſt morbus: lapides.n. nõ ſunt ſymmetria humorum, nec tamen ſunt morbus. Neque etiã ſi hunc locum ita tractandum exiſtimes. Sanitas eſt hoc.i. ſymmetria humorum, igitur quod nõ eſt tale.i. quod non eſt ſanitas, eſt morbus, quoniam lignum non eſt ſanitas, nec tamẽ eſt morbus. Videtur itaque reſpõderi poſſe, duplici huius loci adhibita explicatione. Prima, ſanitas eſt ſymmetria, ergo ille habitus qui erat ſanitas & ſymmetria humorum, ſi deſinat eſſe ſymmetria, erit morbus. Altera, ſymmetria humorum eſt ſanitas, ergo quod non eſt tale.i. quod non eſt ſymmetria, ſed ametria humorũ, eſt morbus. Quaꝓpter dicebat Ga- *Obiectionis ſolutio.*

lenus in primo de differentiis morborum. Si ſanitas ſit ſymmetria quædam, & morbus erit quædā ametria. Et ſi ſanitas ſit ſymmetria meatuū, & morbus erit ametria eorundem: & ſi ſanitas ſit ſymmetria calidi, frigidi, humidi & ſicci, morbus erit ametria eorundem. Quod optimè concludit Galen⁹. Nam docuit in topicis Ariſtoteles contraria contrariis conuenire. Quare cum morbus & ſanitas ſint contraria, ſimiliter contraria ſint ſymmetria & ametria, atque ſymmetria conueniat ſanitati, certè ametria cōueniet morbo. Hîc autem admonere volo, illud καὶ, me conuertiſſe, ergo, quoniam vt docet Alexander Aphrodiſeus in cōmentariis in libros methaphyſicorum, grȩci aliquando vſurpant καὶ loco ξυν. Quod nunc à Galeno factum eſt. Nemo enim non videt hîc conſeruationem quādam ex ſuperioribus effici. Ca.2

γὰρ ſignificat aliquādo ξυν.

Ἐπεὶ δὲ ἡ νόσος γένος ἐις διάφορα ἔιδη διαιρȣ̃ μένη, ἀνάγκη τὰς διαφορὰς ἀπὸ τινων διαφόρων αἰτίων προβαίνειν.

Quoniam autem morbus, qui genus eſt, in varias ſpecies diuiditur, neceſſe eſt profectò diuerſas illas morbi ſpecies, ab aliquibus differentibus cauſis proficiſci.

DOcuit generalem ametriam humorum eſſe cauſam morbi generalis, ſeu qui genus eſt, nunc docet ſpecialis humorum ame-

ametrias eſſe cauſas ſpecierum morbi. Quoniam ergo (inquit) morbus generalis, diuiditur in multas ſpecies, (ſolius enim generis eſt in ſpecies tribui) profectò neceſſe eſt varias illas ſpecies à differentibus cauſis proficiſci. Huius conſequtionis fides petenda eſt ab eo capite & loco communi, effectorum ſpecie differentium, cauſæ quoque ipſæ inter ſe differunt ſpecie. Sed huic loco plurimum luminis afferri poteſt ex hiſce, quæ in 2. de rerum principiis ab Ariſtotele ſunt explicata. Eo enim in loco inquit, effecti generalis, cauſa eſt generalis: vt artificij artifex: effecti autem ſpecialis, cauſa eſt ſpecialis, vt ſtatuæ ſtatuarius: effecti verò ſingularis, cauſa eſt ſingularis, vt huius ſtatuæ, hic ſtatuarius, exempli gratia, Polyclet⁹. Ita ergo morbi generalis, generalis ametria humorum, erit cauſa: & ſpecierum morborum ſeu ſpecialium morborum, ſpeciales ametriæ: & ſingularium morborũ, ſingulares humorum ametriæ cauſæ habendæ erunt. Hoc enim modo, morbi & eorum cauſę proportione conſtabunt, ſibique viciſsim reſpondebunt.

Morbi ſpecie differẽtes, à diuerſis cauſis proficiſcuntur.

C.3.

Cauſæ generales, ſpeciales, ſingulares ſimiliter & effecta.

αἴτια δὲ χυμοὶ καὶ συμπτώματα. τὰ μὲν τοῖς ἔξωθεν ἐπισυμβαίνουσιν. οἱ δὲ ταῖς αὐξήσεσι καὶ μειώσεσιν, ἐπί τε ἡλικίαις, καὶ καιροῖς, καὶ διαίταις, καὶ κράσεσιν ἐξαλλαττόμενοι, ὡς προείρηται·

Cauſæ autem ſunt humores & ſymptomata. Hæc quidem, rebus quibuſdam extrinſecus accidentibus. Illi verò, eò quòd mutentur ob incrementa & decrementa

quæ fiunt in ætatibus, & tempestatibus, & victus rationibus, & temperamentis, quemadmodum dictum est.



Causæ morborum genere differẽtes.

Voniã conclusit varias diuersasq; morbi species, à causis specie quoque differentibus proficisci, hîc quænam illæ sint causæ exponit, asseritque esse humores atq; symptomata. Non solum autem symptomata specie differunt ab humoribus, & cõtra, verum etiam ipsimet humores inter se, itemque & ipsa inter se symptomata. Quomodo autẽ symptomata sint morborum causæ, rationem subiungit, nimirũ ꝓptereà quòd res quædã extrinsecus accidunt. Vnde intelligi licet, symptoma hoc loco significare incursum & casum quẽdã, in qua quidem significatione etiam à veteribus est vsurpatum. Quod autem symptoma hoc loco non sumatur eo modo quo Galenus facit in lib. de differentiis symptomatũ, hinc ꝑspicuũ est, quia ibi symptoma aut generatim, aut speciatim dicitur, vt paulo post copiosius docebo. Symptoma aũt, cui⁹ hîc fit mẽtio, nõ est symptoma generatim, quoniam hoc est, quicquid est in ipso animali præter naturam, siue sit morb⁹, siue causa, siue comes morbi, at symptomata, quorum hîc mẽtionem facit Galenus, non sunt in animalis corpore, sed ait hoc loco symptomata esse ob id causas morbi, quòd res quædam extrinsecus accidunt: Nec est symptoma

Symptoma aliquãdo significat casum & incursum.

ſpeciatim, quoniam hoc eſt accidens quoddam, quod ſequitur morbum, vt vmbra corpus, ita vt tale ſymptoma nullo modo cauſa eſſe poſsit eius morbi, cuius eſt ſymptoma. At hic ſymptomata cauſę morborũ dicũtur. Relinquitur ergo, vt ſymptomata hoc loco ſumantur pro caſibus & incurſibus. Hos enim vel corpora animalium alterando, vel ſolutionem continui inducendo, multorũ morborum cauſas eſſe, nemo ignorat. Deinde Galenus rationem affert, cur humores morborum ſint cauſæ, nimirum, quoniam ipſi humores mutantur. Cauſas autem mutationis humorum duas facit, incrementum & decrementum, quę fiunt in ętatibus, tempeſtatibus, victus rationibus, & tẽperamentis. Quorũ omniũ, quoniã demõſtrationes ſuperius attuli, ne ocio & literis abuti videar, nihil amplius dici oportere exiſtimaui. Sed quoniam & cauſæ, & ſymptomatũ mẽtionẽ facit, de vtroque pauca quædã dicenda hoc loco putaui, à cauſa orſus, de qua vniuerſè aliqua dicam, tum ad cauſam morbi deſcendam. Cauſa ergo, vt definit Galenus in primo de differentiis ſymptomatũ, eſt id quod C.1. ſuapte natura inducere poteſt ei quod fit, aliquam ſui ortus partem. Cauſarũ autẽ genera plura ſunt, nempè materia, vtilitas, ſcopus, inſtrumentum, & vnde principium motus, quippe horũ ꝗlibet, nõnihil ad ꝑfectionẽ eius quod fit, cõducere poteſt. Quæ verò nihil inferũt, ſed inferẽtes cauſas impellunt, ea cauſæ ſine qua nõ fit ꝑfectio, rationẽ obtinent. Poteſt cauſarũ ordo quidã, qui crebro ſeſe viciſsim ſuſcipiãt inſtitui, velut pluribꝰ inter ſe calculis ordine diſpoſitis, ſi quis primũ moueat, pri-

Symptomata quomodo cauſæ ſint morborum.

Humores cur ſint cauſæ morborũ.

Cauſa quid

Cauſarum genera.

Cauſa ſine qua non.

Cauſarum ordo.

Causa per se & causa per accidens.

mus verò ſecundum, atque hic tertium, & ſic deinceps quilibet ſe ſequentem In quibus omnibus niſi quis diſtinguat id quod per accidens facere dicitur, ab eo quod per ſeipſum, multa abſurda in ſuis diſputationibus committet. Significat autem,

Per ſe quid ſit. *Per accidens quid ſit.*

per ſe, idem quod primò. Per accidens autem idẽ quod ſecundò. Igitur qui primo calculo digitum applicat, per ſe quidem hunc mouet, ſequentem verò per accidens, Dixi de cauſa ſimpliciter & ab-

Cauſa morbi quid. *Morbus quid.*

ſolutè, nunc de cauſa morbi dicamus. Cauſa morbi eſt id omne, quod morbum præcedit, eumque excitat. Morbus autem eſt affectus corporis præter naturam, actionem primo lędẽs. Quapropter cauſa morbi, ſuapte ratione, per ſe, & primò non

Cauſa morbi duplex.

lædit actionem, ſed per accidens, & ſecundo, nimirum interueniente morbo. Cauſa autem morbifera duplex eſt, vt docet Galenus in libro de cauſis Ca.2 morborum. Vna quidem externa, ſic dicta, quod extrinſecus adueniat, nec intra corpus animalis cõſiſtat, veluti frigus, aut ſcorpio pungens, quam ipſe græcè appellauit eodem loco, προκαταρκτικὴν, & προκατάρχοντα, vulgus medicorum primitiuam appellat. Altera interna, quæ quidem in ipſo animalis corpore conſiſtit, vt humorum vitium, ſeu cacochymia. Hanc idem Galenus græcè nominat

Cauſa adiuuans.

προηγουμένην, latini antecedentem & præcedentem nominant. Cæterum Hippocrates concauſam attigit, quæ quidem illa eſt, quæ quamquam vi ſua morbum generare non poſsit, alteri tamen, quod illud procreare poteſt, cohæret. Quam latinè cauſam adiutricem appellare poſſumus. Reliquũ eſt, vt de ſymptomatibus diſſeramus. Symptoma duo

bus modis à Galeno in libro de differẽtiis sympto matum vsurpatum est, scilicet vniuersè, & speciatim. Symptoma vniuersè sumptum, est quicquid animanti accedit præter naturam. Quo sanè modo & causa morbi, & morbus, & accidentia quæ morbos comitantur, symptomata nominantur. Symptoma autem speciatim sumptum, est quicquid præter naturam animanti accidit, exceptis morbo & eius causa. Omne ergo accidens quod sequitur morbum, quemadmodũ vmbra corpus, hoc modo symptoma vocatur. Symptoma autem speciatim sumptum triplex est. Quædã enim sunt symptomata quæ sunt actionum læsiones: alia corporis nostri affectus: nonnulla excretiones & retentiones immodicæ. Quæ omnia mirabili quodam ordine in eo quem modo citaui libro, Galenus est persequutus.

Ca.1. & 2.

Symptoma vniuersè quid.

Symptoma speciatim.

Symptoma speciatim triplex.

τοῦτο δὲ καὶ Ἱπποκράτης σημαίνειν ἔοικεν, ἄλλους κατ᾽ ἄλλην ὥραν αὐθεῖν τε καὶ δυναστεύειν τοῖς σώμασι χυμούς.

Hoc autem & *Hippocrates confirmare videtur, cum inquit, alios in aliis tempestatibus & florere & dominari in corporibus animantium humores.*



QVoniam Galenus tradidit humores mutari ob incrementum & decrementum eorumdem, quæ fiunt in ætatibus, tempestatibus, victus rationibus, & temperamentis: hic senten

tiam ſuam Hippocratis authoritate, quæ eſt in libro de humoribus confirmat, vbi inquit alios aliis atque aliis tempeſtatibus, & florere & dominari in animantium corporibus humores, ſiquidem vere ſanguis: æſtate bilis flaua, autumno bilis nigra naturalis: hyeme pituita viget & floret. Verba Hippocratis hæc ſunt. Cæterum ſiccitates & auſtrinæ ſunt & aquilonares. Differunt enim & alia hoc modo. Magnum enim & hoc eſt. Nam alius in alio tempore ac regione magnus eſt. Veluti æſtas bilem parit, ver ſanguinem, reliqua prout ſingula. Hæc ille.

Καὶ τὰ χρώματα διάφορα εἶναι λέγων τοῖς ἀνθρώποις, κατὰ τὴν ἐπικράτειαν τῶν ἐν τῇ κράσει δυναστευόντων χυμῶν, καὶ τὰ νοσήματα κατὰ τὴν τοῦ πλεονάζοντος χυμοῦ φύσιν πεφυκότα γίγνεσται

Atque etiam colores in hominibus eſſe diuerſos dicit, pro imperio humorum in temperamento dominantium, & natura comparatum eſſe, vt pro humoris vincentis natura, morbi gignantur.

Humores ſunt cauſæ colorum in animali.


Vmores & colorum, & eorumdem varietatum in hominibus, cauſas eſſe, Galenus hoc loco Hippocratis authoritate ac teſtimonio nos docet. Hic enim meritò dixit colores in hominibus

esse diuersos pro imperio humorum in temperamento dominantium. Nam si in alicuius temperamento sanguis reliquis dominetur humoribus, rationi cõsentaneũ est maximè, vt ille veluti informat⁹ sit sanguinis colore. Roseo ergo colore veluti tinctus erit. Item si alicuius temperamentũ sit pituitosum, ille albus, si biliosum flauus, si melancholicum, oleaceus erit. Tales enim esse humorũ colores superius demonstrauimus. Ob eamque causam Galenus in secundo & quarto de sanitate tuenda, talia pronunciauit. Color in cute efflorescit similis humoribus subiectis, nisi intrò recesserint. Quod autem subiungit, natura comparatum esse, vt pro humoris vincentis natura, morbi gignantur, verissimum est, & maxima ex parte superius à nobis explicatum. Si enim pituita redũdet, rationi consentaneum est, vt gignantur ij morbi, quos pituita parere solet, si sanguis, quos sanguis, si bilis, quos bilis. Alij enim morbi à pituita, alij à sanguine: alij à flaua, alij à nigra bile originem ducere solent. Quamquam non sit absurdum, eumdem morbum ab illis quatuor humoribus vitiosis, proficisci posse, quemadmodum in progressu videbimus.

Color in cute efflorescit, similis humoribus, subiectis.

Καὶ μὴν δὴ καὶ ἐν προοιμίῳ τοῦ περὶ χυμῶν. τὸ χρῶμα, φησὶ, τῶν χυμῶν, ὅπου οὐκ ἔστι ταραχὴ αὐτῶν, ὥσπερ τῶν ἀνθῶν, κατ' ἐπικράτειαν τῶν χυμῶν εἰώθειν ἐν τῇ διαδοχῇ τῶν ἡλικιῶν ὑπαλλάττεσθαι τοῖς ἀνθρώποις.

Et in proœmio libri de humoribus, color (inquit) humorum, vbi non eſt aliqua eorum perturbatio, quemadmodum florum, pro imperio humorum, conſueuit in ſucceſſione ætatum mutari in hominibus.



Vmores mutationum ipſorum colorum cauſas eſſe, Hippocratis etiam teſtimonio nos docet, qui literis mandauit colorem humorum mutari conſueuiſſe in hominibus, pro imperio dominantis humoris, in ſucceſsione ætatum. Cum enim in adoleſcentia vigeat ac dominetur ſanguis, adoleſcentum, quatenus adoleſcentes, color, & faciei & reliqui corporis rubicũdus, roſeus, floridus, ſeu ex albo & rubro mixtus, ac ſplẽdẽs à ſanguinè, ſpiritu, calore bono. Iuuenum autem, propterea quòd in ipſis bilis flaua reliquos vincit humores, color faciei, & totius corporis ad flauum vergit. Et hoc quatenus iuuenes. Ætate verò declinantium, cum in ipſis bilis nigra naturalis humores cęteros ſuperet, color eorum ad nigrorem declinat. Senũ denique color, qua ex parte pituitoſi ſunt, albicare cernitur. Ergo in ſucceſsione ætatum pro dominatu humorum mutatorum, mutãtur colores. Atque in vnaquaque ætate tales permanent & cõſpiciuntur, quales expoſuimus. Sed cum Galenus addit, vbi non eſt aliqua eorum perturbatio, quẽ-

Adoleſcentiæ color.

Iuuentutis color.

Ætatis declinãtis color

Senectutis color.

admodum florum, eſt veluti correctio quædam. Nam humores ſolum mutantur in ſucceſsione ętatum, niſi aliqua fiat eorum perturbatio: ſi enim fiat, certè quouis tempore mutabuntur. Id quod ſimilitudine à floribus ſumpta illuſtrat. Nā perturbatio florum, vt ſi in aquam deiiciantur, vel manibus tractentur, vel aliquo alio modo afficiantur, (tantumdem enim hoc loco florum perturbatio valet) eorundem colores mutare ſolet. Per humorum autem perturbationem, intelligit eorum nō ſolum & regreſſum ad partes interiores, verum etiam eggreſſum ad partes externas. Nam ſi quis ſit rubro colore imbut⁹, &, vel mortem, vel aliquod maximum periculum timeat, ſanguis vna cum ſpiritu intrò ad princpipium, ſcilicet cor, adiuuādum, recedūt. Quo fit, vt facies, & corpus vniuerſum pallidum maneat tandiu, quandiu timore coreptus manet. Sin verò quis candido colore ſit tinctus, & vel iraſcatur, vel pudore ac verecundia afficiatur, continuò rubore ſuffundetur, ob eam quidem cauſam, quia ſanguis vna cum ſpiritu foras erumpunt aut ad delictum vel verum, vel quod verum exiſtimatur occultandum, aut vindictam exercendam. Atq; ita humorum perturbatio, idem quod eorumdem receſſus & eggreſſus valebit. Intelligendum eſt autem, perturbationem propriè non humorum, ſed animę eſſe. Atque anima cum perturbationibus quibuſdā afficitur, pro varietate ipſarū vel foras erūpunt humores vel intrò recedunt. Cæterum illud admonere volo, aliud eſſe procœmium quod eſt in libro Hippocratis de humoribus, & aliud quod hîc à Galeno citatur. Hip-

Humorum perturbatio quid.

Perturbatio propriè eſt animæ.

pocratis enim verba hæc ſunt. τὸ χρῶμα τῶν χυμῶν, ὅκου μὴ ἄμπωτίς ἐστι τῶν χυμῶν ὥσπερ ἀνθέων, ἀκτέα ᾗ ῥέπει διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων id eſt. Color humorum, vbi non eſt aliqua humorum reciprocratio, quemadmodum florum, ducendus eſt quà repit, per accomodatas regiones. Quæ Hippocratis verba, non dicunt id, ad quod docendum à Galeno ſunt cõmemorata. Vt credibile ſit, nos alio Hippocratis de humoribus libro carere, aut certè Galenum in eo prooemio citando, pauca quædam quæ ſuo inſtituto accomodata eſſent, immutaſſe.

καθάπερ ἄρα καὶ τὰ ἤθη τῆς ψυχῆς. ἠθοποιοῦσι γὰρ οἱ χυμοὶ, καὶ ταύτην.

Quemadmodum igitur & animæ mores. Humores enim ipſam moratam efficiũnt.



SImilitudine per concluſionem tractata, humores cauſas eſſe & colorum & mutationum eorũdem in ſucceſsione ætatum intemperamento naturali, confirmat. Dixi per concluſionem tractata, quoniam nõ eſt concluſio ex ſuperioribus effecta, quippè cum nulla antè ſint dicta, ex quibus commodè hæc fieri poſſet concluſio, ſed tamen preſtantiſsimi viri hoc dicendi genere non raró ſunt vſi. Similitudo igitur perſpicuitatis gratia tractanda hoc pacto videbitur. Quemadmodum humores affecti ſunt ad mores animæ, ita af

fecti sunt ad colores corporis, at humores sunt causæ & morum, & mutationum eorundem in successione ætatum, igitur & humores causæ erunt colorum corporis, & in successione ętatum mutationum eorumdem. Assumptionem confirmat hoc modo, humores efficiunt ipsam animam moratam, ergo humores sunt causæ, morum animæ. Humores autem efficere animam moratam non facile à quouis intelligitur. Intelligetur tamē, si quid sit anima aperire conemur. De qua Galenus in secundo de causis symptomatum sic scripsit. Animæ essentiam in aliqua alia tractatione de

Humores sunt causæ morum animæ.

C.5. finire, audax fortasse facinus putabitur: In hoc veró ópere (scilicet de causis symptomatum) præter audaciam, etiam superuacaneum videtur. At quæcunque tandem ipsa fuerit, è duobus alterum fateri oportet, aut quòd ad omnes functiones, vt primis instrumentis, vtitur & spiritu & sanguine, & vel alterius, vel vtriusque calore: aut quòd in ipsis

Animæ essentiam definire, audax esse.

Anima quid Galeni sententia.

C.6. consistit. In tertio aūt de locis affectis sic scriptum reliquit. Altera Hippocratici sermonis pars, non parum contemplandi locum desiderat: quippè cum anima sit aut temperamentum actiuarum qualitatum, aut ab ipsarum temperamento permutetur. Galenus etiam in libello de substantia facultatum naturalium, An anima (inquit) immortalis, corporeis immixta substantiis, animantia gubernet, certò me scire non profiteor: quemadmodū ne id quidem, an nulla per se animæ existat essentia. Illud sanè mihi manifestè apparet, quòd vbi in corpora commigrauerit, eorum naturis quæ ex certa quadam elementorum temperatura con-

ditæ ſunt inſeruiat. Idoneum enim corpus ſit oportet, quod animam ſuſcipiet. Et ſi magnam in temperamento alterationem ſuſtinuerit, illa protinus emigrare cogitur. Verbi gratia ſi in ſanguinis euacuatione, aut refrigerantium medicamentorum potione, aut aere impenſè frigido perfrigeſcat. Rurſus ſi contra per febres, aut flammæ inſpirationes, aut epota denique medicamenta plus æquo calida, incaleſcat. Verum nõ ſolum temperie corporis inalterata, animam videmus ab eo ſeparari, ſed etiam quum omnino reſpiratione deſtituitur, & corpore aliquam alterationem ſuſtinente. Hæc ille. Ex quibus omnibus & aliis penè innumeris, quæ ſtudio breuitatis ſilentio inuoluo, colligi poteſt, Galenum in hac ſententia fuiſſe, animam eſſe temperamentum quoddam, & à corpore pendere, atque cum eo cõiunctam eſſe. Ariſtoteles etiam in ſecundo de anima abſolutiſsimè eã ſic definiuit. Anima eſt entelechia corporis naturalis, organici, vitam poteſtate habentis. Si ergo eſt entelechia, perfectio, & forma, in eo ſit, & cum eo coniuncta, cuius eſt forma, neceſſe eſt. Preterea de ſenſu, ſeu anima ſentiente diſſerens, eam quamdam rationẽ corporis facit, quæ tollatur ab exuperantibus iis rebus, quarum eſt mouere ſenſum. Elementa ergo inter ſe mixta, nõ quouis modo, ſed ad certũ quendã gradũ, quẽ à nemine poſſe exprimi ſemp putaui, à ſapiẽtib⁹ autẽ certo quodã modo, ac cõfuſè intelligi animam faciũt. Sed alio modo ſunt inter ſe mixta elementa, cum ex eis cõſurgit facultas alendi: alio, cum facultas ſentiendi: & alio, cum facultas cogitandi. Primo & tertio mo-

Anima quid, Ariſtotelis ſententia.

Ca. 1

Anima ex elementorum inter ſe admixtione, certa proportione effecta, conſurgit.

do omiſsis, ſecundum perſequamur. Nam elemẽta aliquando ita inter ſe confuſa mixtaque ſunt, vt quatuor inde pro varia eorum inter ſe temperatione naſcātur humores, aut res aliæ quatuor, quæ illis proportione reſpōdeant. Humores autem ſequitur anima ſentiens. Atque ita quantum ad inſtitutum hoc attinet, quomodo humores animam efficiant, explicatum eſt. Nunc dicamus breuiter quomodo animam moratam efficiant. Quod intelligemus, ſi quamdam morũ diuiſionem afferamus. Memini me apud præſtantiſsimos authores legiſſe aliquando, mores alios eſſe innatos, alios acquiſitos. Mores acquiſiti, mihi videntur eſſe habitus aſſuetudinibus comparati. Mores autem innati, habitus quidam naturales, ſeu naturales facultates, è corporum temperamento proficiſcentes, quibus homines, & alia etiam animalia inclinantur ad hoc, vel illud agendum. Nam alij ſunt natura vitioſi, alij culpa. Natura Socrates erat mulieroſus, ſtilpho ebrioſus, ſed vitioſa natura ab vtroque domita eſt, & compreſſa ſtudio & bona aſſuetudine. Vitioſi verò natura ſunt, qui à bona natura degenerantes, in vitia delabuntur, quod interdum conſuetudo malorum efficere ſolet. Trahuntur enim (vt veriſsimè Seneca inquit) à conuerſantibus mores. Id quod etiam Ariſto. mille in locis prædicat. Eodemque modo alij natura ſunt boni, alij ſtudio & aſſuetudine. Natura boni ſunt qui ex temperamento corporis ad res bonas honeſtaſque gerendas propenſi ſunt. Studio autem & aſſuetudine boni ſunt, qui ex temperamento corporis ad res illi quidem facinoroſas ſunt procliues, ſtudio

Humores animam ſentientem efficiũt.

Humores quomodo animam moratam faciant.

Mores acquiſiti.

Mores innati.

Vitioſi natura.

Vitioſi conſuetudine.

Boni natura

Boni aſſuetudine.

autem & aſſuetudine naturam vincentes, res præclaras & dignitatis plenas gerunt. Non eſt autem prætereundum illud, mores innatos, qui & naturales dicũtur, non eſſe propriè mores, ſed ex quadam tranſlatione. Nam mos propriè, vt colligitur ex ſecundo ethicorum ad Eudemum, eſt habitus animæ ſentientis, à ratione imperante profectus. His ita cõſtitutis iam facilè intelligi poterit, quod Galenus inquit, humores efficere animam moratam. Non quod faciant, vt in anima ſint ij mores, qui ſunt verè & propriè mores, nimirum habitus profecti à ratione imperante, & aſſuetudine comparati, ſed ij mores qui ſunt habitus quidam naturales, ſeu facultates naturales, ſeu inclinationes ad hoc, vel illud agendum. Humores ergo non faciunt vt actu ſimus vel temperantes, vel liberales, ſed faciunt vt propenſi ſimus ad temperantiam & liberalitatem comparandam. De humoribus ergo & moribus, idem videbitur pronunciandum, quod Ariſtoteles de natura & virtutibus dixit in ſecundo ethicorum ad Nicomachum libro. Virtutes, inquit, non ſunt in nobis natura, tum ſcilicet cum naſcimur, nec ſunt in nobis præter naturam, tum ſcilicet cum aſſuetudine eas nobis comparauerimus. Sed nati factíque ſumus natura ad eas cõparandas. Comparamus autem eas aſſuetudine. Quibus innuit quandam vt virtutum, ita vitiorum comparandorum in nobis, ſeu anima noſtra ſentiente, eſſe facultatem. An verò mores ſint in anima rationis participe, an experte, ſimiliter quot ſint moris ſignificationes, vnde mos dicatur, quot moris genera, quid mos à conſuetudine

Mos quid ſit

C.2.

Humores quomodo faciant animã moratam.

Virtutes non ſunt in nobis nec natura nec contra naturam.

Ca.1

differat, in commentariis in magna moralia Aristotelis diligenter inueſtigaui. Quo fit, vt in his rebus explicandis hoc loco longior oratio non ſit adhibenda.

καὶ τὸ μὲν αἷμα ἱλαρωτέραν ἀπεργάζεται. ἡ δὲ ξανθὴ ὀργιλωτέραν, ἢ θρασυτέραν, ἢ γοργοτέραν, ἢ καὶ ἀμφότερα. τὸ δὲ φλέγμα ἀργοτέραν, καὶ ἠλιθιωδεστέραν. ἡ δὲ μέλαινα ὀργιλωτέραν, καὶ ἰταμωτέραν.

Sanguis enim hilariorē ipſam efficit. Flaua autem bilis iracundiorem, vel audaciorem, vel velociorem, vel certè vtrumque. Pituita verò tardiorem, & ſtolidiorem. Nigra denique bilis iracundiorem, & impudicitiorem.



Nductione probat humores efficere animam moratam, & facultatibus quibuſdam naturalibus ad res certas aliquas agẽdas præditam. Nam ſanguis efficit animam hilariorem. Cũ enim anima ex temperamento corporis conſurgat & pendeat, temperamentum ſanguineum hanc à natura vim obtinuit, vt animam hilariorem efficeret. Demonſtrationes autẽ, cur qui ſunt ſanguinei, ſint hilares, iucũdi, affabiles

Sanguis cur efficiat animam hilarẽ.

ſuperius attuli, cum explicarem cur adoleſcentia ſit iucunda. Vnde tibi omnia ad hanc rem pertinentia aſſumenda erunt. Nõ enim idem bis in eodem opere tractari oportere, exiſtimo. Similiter cum Galenus hîc aſſerit, bilem flauam efficere animam iracundiorem, audaciorem, & velociorem, explicaui tum, cum demonſtrarem cur iuuentus, in qua flaua bilis abundat, eſſet iracunda, animoſa, & acerba. Eodemque modo, cur pituita efficiat animam tardiorem, & ſtolidiorem, intelligi poteſt ex iis, quibus demonſtraui, cur ſenectus, in qua pituita dominatur, eſſet pigra, obliuioſa, ac ſomnolẽta. Quemadmodum etiam cur bilis nigra efficiat animam iracundiorem, cum explicarem, cur ætas declinans, in qua viget nigra bilis, eſſet, verſuta, inimicitiarum memor, & quodammodo implacabilis. Cur autem bilis nigra efficiat animam impudicitiorem, ibi non eſt explicatum, ideoque nobis breuiter aliquid hoc loco dicendũ eſt. Quẽadmodum ergo elementa inter ſe certo quodam modo mixta, rhabarbarum efficiunt, quod habet hanc vim & inclinationem, vt bilem flauam attrahat, ita ex temperamento hominis melancholico, naſcitur quædam inclinatio & procliuitas ad complexus venereos exercendos, quam ſi ſequantur homines illi, venerem quoque ſequuntur perpetuò, ac impudici fiunt. Vel etiam dici poteſt bilem nigram habere hanc vim, vt, cum mouetur per partes procreationi deſtinatas, eas excitet & ad agendum impellat, Id ꝙ vel nullus alius humor poteſt præſtare, vel nigra bilis magis quã alius. Quæſtio autem quædã hoc loco exiſtit, quomodo bilis ni-

Bilis nigra cur efficit animam impudicam.

Quæſtio.

gra efficiat animam iracundiorem quemadmodũ bilis flaua. Nam si contrariarum causarum, contrarij sint affectus, & bilis flaua, & bilis nigra sint contrariæ, cum illa sit calida, hæc verò frigida, certè si illa efficit animam iracundiorem, hæc eandem efficiet iracundiæ expertem. Huic dubitationi respõdemus per bilem nigram intelligi oportere, verè bilem nigram, ortam ex adustione flauæ bilis, ita tamen vt sit naturalis, non autem intelligi bilem nigram, quæ propriè humor niger nominatur. Bilis enim nigra naturalis ex adustione bilis flauæ legem naturæ non egrediente, est calida & sicca, imò paulo calidior & siccior quàm bilis flaua. Proinde vt hæc animam iracundam efficit, ita & illa. At humor niger est frigidus & siccus, qui hoc loco non videtur intelligendus. Verũ si quæras, qualemnam animam efficit humor niger frigidus & siccus: existimarem efficere magis tardã, ineptam, stolidam, quàm pituita efficiat. Præterea timidam, & mœstã, vt scribitur libro sexto apho. aph. 23. & 41. lib. 7. Sed cum sit siccus, ideóque facilius imflammari posit quam pituita, certè si calefactus erit, aliis qualitatibus anima erit affecta. Nam melancholicus interdum est malignus, vt etiam sibi mortem conciscat, inuidus, fradulentus, auarus, parcus, soluere lentus, taciturnus, lachrimabundus, cogitabundus, solitarius, misanthropos. i. hominum osor, immoritur studiis, propositi tenax, iratus ægrè placatur, ingeniosus, vt tradit Aristo. problemate primo. secti. 30. libidinosus, vt inquit Gale. com. 3. in 6. Epid. & Aristo. problemate 31. sectionis quartæ. Ob id quidẽ, quia flatulẽtus


Bilis nigra efficit animã iracundam.

Humor niger tardã stolidamque animã facit.

Melancholicus qualis sit

ὑπαλλάττεται δὲ τὸ τῆς ψυχῆς ἦθος καὶ ἐν ταῖς νόσοις, πρὸς τὸ εἶδος τοῦ περιττεύοντος χυμοῦ, ὡς ἐπὶ τῶν παρακοπῶν.

Mutantur autem & animæ mores in morbis, id'que pro specie humoris exuperantis, quemadmodum in delirationibus cernere licet.



HVmores esse animæ morum causas, seu ab humoribus, animę mores proficisci, in quoque temperamento naturali docuit, nunc animæ mores in quoque tempe-peramento præter naturam, mutari ab humoribus, aperire instituit. Primum proponens, id cerni licere in delirationibus. Sed antequam quicquam de singulis delirationis generibus, dicamus, pauca quædam explicanda videntur, quibus rectè perceptis, ea quæ deinceps sequũtur, planè cognita erunt. Intelligendum est ergo, actiones in nobis duplices esse, alias naturales, alias animales. Illis posthabitis, de hisce disseramus. Animales autem triplices facit Galenus in libro de differentiis symptomatum, nimirum actiones animales sentiẽtes, actiones animalesmotrices, actiones animales principes. Duob⁹ priorib⁹ generib⁹ ad institutũ nostrũ nõ faciẽtibus, omissis, tertiũ p sequamur. Actiones ergo animales principes, triplices sũt, scilicet phãtasia, memoria, &cogitatio. Quarũ vna malè affici potest, reliquis duabus re-

Actio naturalis animalis.

Actio animalis, sentiẽs, motrix, princeps.

Actio animalis prĩceps phãtasia, memoria, cogitatio.

C.3.

ctè habentibus, aut duæ possunt affici malè, tertia incolumi remanente, aut omnes simul malè affici possunt, vt præclarè in eo quē modo citaui loco Galenus ostendit. Vnaqueq; autē trib⁹ modis malè affici potest. Nā phātasia malè affecta, aut est abolita, & talis affect⁹, caros vel catalepsis nominatur: aut est debilis, & eiusmodi affectus dicitur veternus, seu coma, vel lethargus: aut deprauata, & deliratio vocatur. Similiter memoria tribus modis malè affici potest. Nam aut est abolita, & obliuio: aut debilis, & torpor: aut deprauata, & deliratio nominatur. Eodemque modo cogitatio malè affecta aut est abolita, & dementia: aut debilis, & stultitia: aut deprauata, & deliratio appellatur. Ex quibus omnibus perspicuum est, tres esse delirationis species, habita ratione trium principum actionū animaliū, scilicet phātasia deprauata, memoria deprauata, & cogitatio deprauata. Dixi autem, habita ratione triū principaliū actionū animaliū, quoniā habita ratione quatuor humorū, quatuor erunt delirationis species, nimirū deliratio sanguinea, deliratio biliosa, deliratio pituitosa, deliratio melancholica. Sed cū phātasia deprauari possit, tū à sanguine, tum à bile flaua, tum à bile nigra, tum à pituita: similiter ab iisdem quatuor deprauari possit tum memoria, tum cogitatio, profectò, si ter quatuor sunt duodecim, constituendæ erunt duodecim delirationis species simplices.

Phātasia tribus modis affici potest.

Memoria tribus modis affici potest.

Cogitatio tribus modis afficitur.

Delirationis species simplices duodecim

Nam est deliratio phantasiæ, quæ est eiusdē deprauatio, effecta à sanguine. Est item deliratio phantasiæ, q̄ est eiusdē deprauatio effecta à bile flaua. Est similiter deliratio phātasiæ, q̄ est eiusdē deprauatio

Deliratio phantasiæ à quatuor humoribus.

effecta à pituita. Est denique deliratio phantasiæ, quæ est eius deprauatio genita ab atra bile. Eodẽque modo est deliratio memoriæ, quæ eiusdem est deprauatio effecta à sanguine. Est deliratio memoriæ, quæ eiusdem est deprauatio, effecta à pituita. Est deliratio memoriæ, quæ eiusdẽ est deprauatio, effecta à nigra bile. Id quod etiam de cogitatione dicendum est. Nam est deliratio cogitationis, quæ eiusdem est deprauatio, profecta à bile flaua. Est deliratio cogitationis, quæ eius est deprauatio à pituita nata. Est postremò deliratio cogitationis, quæ est eius deprauatio, quęque à nigra bile originem duxit. Atque ex hisce omnibus colligi posse videtur, omnibus suis numeris absoluta delirationis definitio, hunc in modum. Deliratio est deprauatio, aut phantasiæ, aut memorię, aut cogitationis, effecta vel à sanguine, vel à bile flaua, vel à pituita, vel ab humore nigro cerebrum occupante, ac temperamentum eius mutante, idque sine febre. Adieci autem hoc postremũ, vt distinguerem delirationem à phrenitide. Nã vt testatur Galenus in 2. de causis symptomatũ, phrenitis est phlegmone cerebri, vel membranarum ipsius, febre adiuncta: Vnde & à mania quoque distinguetur. Nam mania est morbus, quo qui corripiuntur, ferarum modo redduntur effrenes, & feriũt, adeo vt eos, qui imprudentius illis occurrunt, malè tractẽt. Distat à phremitide, quia in ea sit febris, mania verò est citra febrem. A deliratione verò differt, quòd qui delirant, non ita sunt, vt manici, more ferarum, effrenes.

Deliratio memoriæ à quatuor humoribus.

Deliratio cogitatiois à quatuor humoribus.

Deliratio quid sit.

Delirationis & phrenitidis discrimen

C.7.

Delirationis & maniæ discrimen.

Maniæ & phrenitidis discri.

Delirarionis & maniæ discri.

ὅσαι γὰρ αὐτῶν εἰσὶν ἀφ᾽ αἵματος, μετ᾽ ᾠδῆς προσπίπτουσί τε καὶ γέλωτος.

Ipsarum enim, quæcunque à sanguine originem habent, cum cantu fiunt & risu.



INductione docet, pro specie humoris dominantis in morbis, & temperamento planè præter naturam, animæ mutari mores. Nam qui delirat à sanguine, alios habet mores, quibus, antèquàm deliratione corriperetur, prȩditus non erat. Eodemque modo qui à flaua in delirationem incurrit, dissimiles habet mores non solum iis, quos exercebat antequam deliraret, sed iis etiam eius qui delirat ob sanguinem. Id quod de deliratione & à pituita & à nigro humore effecta, eodem modo iudicãdum est. Cæterum Galenus in hac inductione, cuiusque delirationis speciei notas quasdã ac proprietates, quibus vnamquamque cognoscere, & à reliquis distinguere poterimus, depingit. Ea enim delirationis species quæ à sanguine originem habet, fit cum cantu & risu, quȩ duo in aliis delirationis speciebus non videntur vsuuenire. Sed de iis, pluribus nobis est differendum. Primũ ergo quid sit sanguinea deliratio dicamus. Sanguinea deliratio est deprauatio vel phantasiæ, vel memoriȩ, vel cogitationis, à sanguine profecta, cerebrum occupante, & temperamentum eius mutante, idque sine febre. Vnde perspicuum esse potest, tres sim-

Signa delirationis à sanguine.

Deliratio sanguinea quid.

Delirationis sanguineæ tres species simplices.

plices delirationis species sanguineas esse, primã, si deprauata corruptáque fuerit phãtasia, non memoria, nec cogitatio. Alterã, si deprauata sit memoria, saluis manentibus phantasia & cogitatione. Tertiam, si deprauata sit cogitatio, phãtasia & memoria suis muneribus fungentibus. Similiter potest esse perspicuum, quatuor esse species compositas delirationis sanguineæ. Nam aut deprauatur phantasia simul & memoria, incolumi remanẽte cogitatione: Aut phantasia simul & cogitatio, integra existente memoria: Aut memoria & cogitatio, ita vt nihil mali perpessa sit phantasia: Aut & phantasia, & memoria, & cogitatio simul à sanguine deprauantur. Quod autem interdum vna lædatur & depreuetur, reliquis nihil mali experientibus, Galeni sententia & verbis in libro de causis symptomatum doceamus, potissimum cum huic rei quam tractamus, plurimum luminis allatura sint. Porrò (inquit) accidit plerumque, vt ambas actiones obturbet deliratio, vt neque benè procedat phantasia, neque debita fiat ratiocinatio. Interdum vna duntaxat læditur: Id quod Theophilo medico ægrotanti euenit, qui quum alioqui prudenter dissereret, atque eos qui tum præsentes erant exactè nosceret, tibicines tamen quosdam arbitrabatur esse in angulo cubiculi, in quo decumbebat, eosque tibia canere, atque pulsare, & se illos videre putabat, alios quidem stantes, alios autem illic sedentes, atque ita continenter canentes vt neque noctu, neque interdiu quicquam remitterent aut quiescerent, ne minimo quidem temporis momento. Proinde assiduè clamans, iussit eos à cubi-

Delirationis sanguineæ quatuor sunt species compositæ.

Phantasia interdum deprauatur, nõ autẽ cogitatio, nec memoria.

C.3.

biculo expelli. Atque hanc habuit delirationis ſpeciem. Is vbi conualuit abeunte morbo quicquid ſinguli eorum qui ipſum viſitabant, vel dixiſſent, vel egiſſent, narrabat: denique viſa (grçci phantaſmata vocant) quæ de cantoribus apparuerant, memoriter recitabat. Sunt alij quibus nulla apparent viſa, ſed non rectè ratiocinantur, cogitandi facultate in ipſis affecta. Vt phrenitico illi contigit, qui obſeratis intus ianuis protulit per feneſtras ſingula vaſa, interrogans prætereuntes, iuberent ne ea proiiceret. Hic ſingula vaſa ſuis menclaturis probè nominauit, vnde intelligere licebat, neq; phãtaſiæ functionem circa illa eſſe lçſam, neque nominum memoriam deletam. At quamobrem ipſe decreuiſſet ea ab alto deiicere & ita frangere, id coniectura aſſequi nemo poterat, Quamquam ex ipſo opere ſatis conſtabat eum inſanire. Iam memorandi animæ facultati poſſe accidere ſymptomata, tũ in ægrotantibus, tum in iis quorum iã finiti ſunt morbi, vel Thucydidis teſtimonio diſcere licet, qui nonnullos è peſtilentia ſeruatos, adeo omnium quç antea nouerãt fuiſſe oblitos cõmemorat, vt nõ ſolũ ſuos familiares nõ agnoſcerẽt, ſed ne ſe ipſosquidẽ. In iis enim phãtaſia deprauata nõ erat, cũ aliena phãtaſmata illi nõ obuerſarẽtur. Nec cogitatio, quoniã nõ loquebãtur imprudenter. Atq; hoc modo explicatç ſunt tres ſpecies ſimplices delirationis. Ex quib⁹ q̃ cõiũctç copulatçq; ſũt, vnuſquiſq; facile poterit intelligere, ſi eas, q̃ traditç ſũt, eo modo quo dixim⁹ inter ſe cõiũgat. Atq; ex iis q̃ diximus, tuipſe ſingulas delirationis ſpecies tum ſimplices, tum cõpoſitas à ſanguine profectas, pſe

Cogitatio interdum læditur, non autẽ phãtaſia, nec memoria.

Memoria interdum læditur, non autẽ phãtaſia, nec cogitatio.

Deliratio sanguinea cur sit cum cãtu & risu.

qui poteris. Causam autem exponamus, cur sanguineæ delirationes sint cum cantu & risu. Initiò cum, cur iuuenes & sanguinei iucundi essent & hilares, docerem, dixi sanguinem hãc vim, naturamque habere, vt phantasmata vel etiam tristia, iucũda faciat, & quæ nihil mœroris & tristiæ habeant coniunctum: contrà verò humor niger phantasmata iucundissima efficit vt mœroris plenissima appareant. Cũ res ita habeat, si sanguis cerebri tẽperamentum de suo statu ita deiiciat, vt homo delirare cogatur, profectò tales delirationes erũt cũ cantu & risu, & res iucunditatis plenæ videbũtur. Nam si phantasia solũ sit deprauata à sanguine, nõ autem cogitatio & memoria, flores, fructus, campos iucundissimis floribus vestitos in cubiculo esse putabit: vel res etiam sanguineas, & lectum etiam sanguine conspersum, sed non sine cantu & risu. Imò noui quemdam, qui ridendo alium quempiam interficiebat. Si inquam sola phantasia sit deprauata à sanguine, hæc similiaque aliena phantasmata illi occurrẽt. De reliquis autẽ reb⁹ prudẽter ratiocinabitur, earũq; memoriã, sicuti cũ valebat, firmã habebit. Exercitationis gratia, singulas hui⁹ delirationis species, exẽplis illustres. Quod ipse nõ facio, ne sim longus. Mihi satis est viam indicasse.

ὅσαι δὲ ἀπὸ ξανθῆς, θρασύτεραι καὶ πικρότεραι.

Quæcunque autem à flaua bile, audaciores & acerbiores sunt.



Lterũ eſt delirationis genus à flaua bile ortum, quod ſuis notis ve luti coloribus quibuſdam depingit, vt à cæteris internoſcatur. Nam delirationes à flaua bile manantes, diſtinguntur à ſanguineis, quoniã illæ iis ſunt audaciores & acerbiores: à melancholicis, quoniã non ſunt adeo audaces & acerbæ quemadmodum melancholicæ: à pituitoſis, quoniam hæ ſunt nugaces, non autem bilioſæ. Cęterum deliratio bilioſa eſt deprauatio vel phantaſiæ, vel memoriæ, vel cogitationis, profecta ab humore bilioſo cerebrum occupante, & temperamẽtum eius mutante, idq́ue ſine febre. Ex quibus perſpicuum eſſe poteſt, tres ſimplices delirationis bilioſæ ſpecies eſſe, prima ſi à bilioſo humore lædatur phãtaſia, non autem memoria, nec cogitatio. Altera ſi deprauetur memoria, non autẽ nec phãtaſia nec cogitatio. Tertia ſi lædatur cogitatio, integra manente phantaſia, itemq́ue memoria. Perſpicuum etiam eſſe poteſt, quatuor eiuſdẽ ſpecies copulatas eſſe poſſe, cũ quatuor modis ſimplices inter ſe coniungi poſsint. Nam fieri poteſt, vt phãtaſia ſimul cũ memoria deprauetur, non autem cogitatio: aut phantaſia & cogitatio, nullum perpetiente malum memoria: aut memoria & cogitatio, libera exiſtente phantaſia: aut denique ſimul & phantaſia, & memoria, & cogitatio. Cognoſcemus autem delirationẽ eſſe à bile, illis notis, quas nos Galenus docuit. Vbi à bile profectam eſſe, nobis perſpectum erit, tum vel ſolam phãtaſiam, vel ſolam memoriam, vel ſolam cogitationem, vel du

Deliratio bilioſa quomodo à reliquis diſtinguatur

Deliratio bilioſa quid

Delirationis bilioſæ tres ſpecies ſimplices.

Delirationis bilioſę quatuor ſpecies cõpoſitæ.

Deliratio bilioſa quomodo cognoſcatur.

Delirationis biliosæ species quomodo singulæ possint cognosci.

as simul, vel omnes vnà deprauatas esse cognoscemus, ex ipsis actionibus functionibusúe. Nam si phantasia suas actiones non faciat, faciat autem memoria & cogitatio, tum coniiciemus solã phãtasiam deprauatam esse. Similiter si memoria suo rectè non fungatur munere, rectè autẽ phantasia, rectè & cogitatio, illam solam deprauatam, non has, pronunciabimus. Idéque de reliquis duabus coniunctis speciebus dicendum.

διὰ τοῦτο καὶ Ἱπποκράτης φησίν. αἱ μὲν μετὰ γέλωτος γινόμεναι παραφροσύναι, ἀσφαλέστεραι. αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς, ἐπισφαλέστεραι σπουδὴν τὴν θρασύτητα λέγων.

Ob eamq́ue causam Hippocrates inquit, impudentiæ quæ cum risu fiunt, securiores: quæ verò cum studio, periculosiores: studium appellans audaciam.



Otas & proprietates, tum illius generis delirationis, quod à sanguine, tum illius, quod à flaua bile generatur, Hippocratis testimonio, ex sexto aphorismorum iisdẽ, omnino verbis desumpto, confirmat & illustrat. In cuius loci explicatione hæc Galen⁹ verba scripsit. Nulla (inquit) deliratio secura est, minus verò periculosæ, quæ cum risu fiunt, sicut temerariæ, vt ipse nominat omnium pe

apho. 53.

Deliratio nulla secura.

riculosissimæ, In medio autem ambarũ sunt quæ cum studio fiunt. Fiunt autem omnes patiente cerebro, siue primò & per se ipsum, siue per compatiendi rationẽ. Differunt verò inter se per causas ipsas efficientes. Quæcumque enim ex solo fiunt calore sine humore vitioso, similes sunt quodammodo eis, quæ ex ebrietate contingunt. Quæcunque verò ex flaua bile, cum studio perficiuntur: ipsa verò multum exusta, vt iam magis ad atræ bilis naturam accedat, fiunt insaniæ satis furiosæ. Hæc ille. Quibus sanè verbis indicat, cum inquit Hippocratem studium appellasse audaciam, intellexisse id delirationis genus, quod à flaua bile ortum habet. Hoc autem loco illud animaduertendum est superius dixisse παράκοπην i. delirationẽ, hîc verò παραφροσύνην. i. imprudentiam quæ duo vocabula vsurpauit quatenus genera sint, omnium delirationis specierum. Nam quęuis deprauatio vel phãtasiæ, vel memoriæ, vel cogitationis, est deliratio, seu diminutio earumdem, est item imprudentia. Sed si illa duo vocabula inter se conferantur, imprudentia latius patet quàm deliratio: omnis enim deliratio imprudẽtia est, nõ autẽ cõtra. Verũ hîc imprudẽtiã Hippocrates vsurpauit ꝓ sola deliratione, & triũ illarũ facultatũ diminutione. Sed & illud mihi hoc loco q̃ri posse videtur, cũ Hippocrates inquit delirationes q̃ cũ risu fiũt esse minus periculosas an hoc intelligẽdũ sit ratione eorũ qui delirant? vt illis sint minus periculosæ, minusque mortis periculũ immineat: q̃ hisce hominibus, qui vel biliosis, vel melancholicis, vel pituitosis delirationibus torquẽtur: an intelligẽdũ sit ratione eo-

Delirationis & imprudentiæ discrimen

Deliratio sãguinea quomodo sit secura.

rum qui verſantur cum illis inſanientibus. Hi enim qui inſaniunt, ſolent in eos quibuſcum vnà verſantur, inuolare nõnunquam. An ratione vtrorumque? Ego hunc locum vtrorumque ratione intelligendum eſſe exiſtimarem.

ὅσαι δ' αὖ ἀπὸ μελαίνης, σκυθρωπότεραι, καὶ σιωπηλότεραι, καὶ ἀστειότεραι.

Quæcũque verò ab atra bile, triſtiores, taciturniores, & inſtabiliores.



Ertiũ delirationis genus, quod ab atra bile ortum habet, hîc ponit, eiuſque notas & ſigna exponit, vt hoc ab aliis internoſcere poſsimus. Inquit autem delirationes ab atra bile, eſſe σκυθρωποτέρας .i. magis quã triſtes, vt ij qui illis corripiũtur vultu ſint inamœno, & ſeuero, auſtero, & tetrico. Sũt itẽ taciturniores & inſtabiliores. Nã ij qui inſaniũt ab atra bile, quãquã ſint triſtes, mœſti, & taciturni, attamen ſunt inſtabiles, turbulenti, & vagi, nec in eadem poſſunt manere ſede. Te autẽ hoc loco admonitũ velim, in codice græco, qui ad manus meas peruenit, ſcriptũ eſſe, ἀστειότεραι, id eſt vrbaniores, ſeu ciuiliores, ſeu elegantiores. Sed quomodo delirationes ab atra bile poſſunt eſſe vrbanę, ciuiles, & elegantes, quum ſint mœſtæ, taciturnæ, tetricæ, & inamœnę? Arbitrarer ergo vbi legitur ἀστειότεραι .i. vrbaniores, legendum eſſe, ἀστατότεραι. i. inſtabiliores

Deliratio melancholica qualis ſit.

Error codicis græci.

implacabiliores,& turbulentiores. Sic enim veritati omnia magis consentanea videbuntur. Sed vt superius fecimus, ita hoc etiam loco faciendũ putamus. Deliratio melancholica est deprauatio vel phantasię, vel memoriæ, vel cogitationis, orta à bile nigra cerebrum occupante, eiusque temperamẽtum immutante, idque siue febre. Huius autẽ tres species simplices statuuntur. Nam aut deprauatur à nigra bile sola phantasia, relictis memoria & cogitatione. aut memoria, seruatis phantasia, cogitationeque: aut cogitatio, phantasia & memoria saluis manentibus. Eiusdem autem quatuor sunt cõpositę species. Aut enim læditur phantasia memoriaque, nõ autem cogitatio: aut phantasia, & cogitatio, libera existẽte memoria: aut memoria & cogitatio, relicta phantasia: aut & phantasia & memoria, & cogitatio simul. Cæterum delirationem à nigra bile manasse cognoscemus illis notis & signis, quæ sunt à Galeno præscripta. Illis enim longè multumque differt à reliquis omnibus aliis delirationis generibus. Sed vel solam phãtasiam, vel solam memoriam, vel solam cogitationem, vel duas ex eis, vel omnes simul à nigra bile labefactatas esse cognoscemus ex actionibus ac functionibus ipsarum. Si enim actio solius phantasiæ læsa appareat, non memoriæ nec cogitationis, illam solam, non autem has duas deprauatas esse coniiciemus. Idem de reliquis eodem modo dicendũ. Illud autem scias velim, hoc delirationis genus à nigra bile profectum, à Galeno in libris de causis symptomatum appellari proprio nomine, melãcholiam, reliqua autem nusquã proprio nomine, sed, sum-

Deliratio melancholica quid.

Delirationis melancholicæ tres species simplices.

Delirationis melãcholicæ quatuor species cõpositæ.

Deliratio melancholica quomodo cognoscatur.

Delirationis melancholicæ species quomodo singulæ poßint cognosci.

Deliratio à nigra bile dicitur melancholia.

pto genere cum adiectione humoris, vt deliratio ſãguinea, deliratio bilioſa, deliratio pituitoſa. Quã quam illam nõ ſemper proprio nomine appellat, ſed interdum delirationem melancholicam.

ὅσαι δ᾽ αὖ ἀπὸ φλέγματος, ληρώδεις καὶ ἀσκταίνοντες.

Quæcunque denique à pituita, ſunt nugaces & ſtabiles.



Deliratio pituitoſa, qualis.

Vartum eſt ac poſtremum delirationis genus, quod à pituita originem trahit. Illius autẽ ſigna & veluti colores ait eſſe, quia tales delirationes ſunt nugaces & immobiles. Nugaces quidem, quia qui deliratione à pituita tenentur, nugantur ſemper, perpetuaſque nugas loquũtur. Nugaces enim dicuntur, non qui celeriter loquuntur, ſed qui tardè ita, vt in re aliqua narranda quæ & paucis verbis, & breui temporum interuallo poſſet expediri, eius exitum finemque haud inueniãt. Tales autem pituitoſos homines eſſe, quotidiè experimur. Sed & nugaces quoque dicuntur, qui & celeriter quidem loquũtur, & multa ita, vt nunquam dicendi finem faciant. Sunt ergo delirantes à pituita nugaces. Sunt etiam ſtabiles, aut tardè & rarò mouentur. Pituita enim difficilis eſt motu, cuius naturam retinent illi. Illud autem animaduerte

Nugaces qui

Error codicis græci.

re volo, me in codice græco inueniſſe, delirationes à pituita eſſe ἀϛατάινοντας.i.inſtabiles & turbulẽtas. Quod cum rationi non videatur conſentaneum, legendum exiſtimarem, ϛάταινοντας.i. ſtabiles & immobiles. Aut ſi mihi liceat liberè loqui quod ſentiam, puto ab aliquo imperito rerum & ad medicinam & ad philoſophiam attinentium, vocabula hæc traiecta & commutata eſſe. Vt vbi legebatur, delirationes à nigra bile eſſe ἀϛειότερας.i.vrbaniores, legendum eſſe, ἀϛαταίνοντας .i.inſtabiles & turbulentas eſſe. Hoc enim habet maximam probabilitatem. Atque cum legitur hoc loco deliratio nes à pituita eſſe ἀϛαταίνοντας.i.inſtabiles & mobiles legendum eſſe ἀϛειότερας.i.vrbaniores. Nam cũ ſint nugaces ij qui delirant à pituita, videntur eſſe vrbaniores. Nam vrbani iudicantur à nonnullis, qui multum & multa loquuntur, & facetias, iocos, & ſales, ac nugas ſermonibus miſcẽt. Deliratio pituitoſa eſt deprauatio vel phantaſiæ, vel memoriæ, vel cogitationis effecta à pituitoſo humore cerebrum occupante, & eius temperamentum mutante, idque ſine febre. Huius ſpecies ſimplices tres cernuntur. Aut enim deprauatur phantaſia, non memoria, nec cogitattio. Aut memoria, non phantaſia, nec cogitatio: aut cogitatio, nõ phantaſia, nec memoria. Eiuſdem autem quatuor compoſitæ ſpecies ſtatuuntur. Aut enim deprauatur phantaſia ſimul & memoria, non autem cogitatio: aut phantaſia ſimul & cogitatio, non autem memoria: aut memoria & cogitatio, relicta phantaſia: aut omnes ſimul. Porrò delirationes à pituita procreatas eſſe cognoſcemus notis à

Deliratio pituitoſa quid.

Delirationis pituitoſæ hæ ſpecies ſimplices.

Deliratoinis pituitoſæ quatuor ſpecies compoſitæ.

Deliratio pituitosa quomodo cognoscatur.

Delirationis pituitosæ species quomodo singulæ cognoscãtur.

Galeno pręscriptis, nimirum si fuerint nugaces, & vrbanę, & stabiles. Singulas autem species, tũ simplices, tum compositas, perspectas habere poterimus ex actionibus trium illarum principalium animæ facultatum. Si enim phantasiam aberrare viderimus, memoriam auté & cogitationem probè suis muneribus fungi, illam solam, non autem has duas labe à pituita esse infectas coniectura consequemur. Id quod de reliquis vel separatim vel cõiunctim eodem modo iudicandum est.

Καὶ ἀλλαχῆ αὐτὸς μαρτυρεῖ, ὡς ἐν τῷ πρώτῳ τῶν ἐπιδημιῶν φησί. Σιληνὸν μὲν παρακόψαντος μετ᾽ ᾠδῆς καὶ γέλωτος.

Atque alibi, vt in primo de popularibus morbis, Silenum insanauisse cum cãtu & risu, ipsemet testatur.



Hippocratis testimonio, ex primo de popularibus morbis, sectione tertia historia secunda, sumpto, aliquas esse delirationes cum cantu & risu cõfirmat. Verba Hippocratis sunt. Silenus habitabat in Platamone, propè filios Eualcidis. Hunc ex lassitudinibus & potationibus, ac exercitiis intempestiuis febris corripuit: & paulo post. Vrinæ turbatæ, subnigræ. Nocte nihil dormiuit, sermones multi, risus, cantus, continere se non potuit. Totam historiam studio breuitatis ad

ſcribere nolo,ſed eam tuæ diligentiæ videndã relinquo.

ἐπὶ δὲ φιλίσκου ἐν τῇ τρίτῃ ἐπιδημίᾳ. γενέσθαι θρασεῖαν τὴν παρακοπήν. ἐξεμάνη γὰρ φησι περὶ τὸ μέσον τῆς ἡμέρας. ξανθὴ γὰρ ἦν ἡ πρόφασις τῆς νόσου.

In tertio autẽ de vulgaribus morbis dixit Philiſci delirationem factam fuiſſe audacem. Nam inquit eum inſanuiſſe circa meridiem. Flaua enim bilis morbi cauſa erat.



HÆc Hippocratis authoritas,qua ſtatuit Galenus delirationem eſſe à flaua bile, in tertio de vulgaribus morbis Hippocratis non extat,vt facile mihi perſuadeam,eam Philiſci hiſtoriam temporum diuturnitate excidiſſe, vt alia pleraque. Hippocrates tamen primo de vulgaribus morbis,ſectione tertia,hiſtoria prima, cuiuſdam Philiſici mentionẽ facit, ſed illa hiſtoria non eſt talis,qualis hîc à Galeno commemoratur.Nã hæc ſunt Hippocratis verba. Tertio mane & vſque ad meridiem,viſus eſt à febre liber eſſe. Ad veſperam febris acuta cum ſudore,ſiticuloſus erat, lingua reſiccabatur, nigra minxit, noctem moleſtam habuit,non dormiuit,omnino delirauit. Quibus perſpicuũ eſt Hippocratem dixiſſe eum noctu inſaniuiſſe. Galenus verò hîc in-

quit, circa meridiem. Quaquam in Philiſci hiſtoria, quam, in eo quem citaui loco, Hippocrates narrat, multa ponuntur, ex quibus à flaua bile delirationem manare poſſe aliquando, colligi poſſe videatur. Cæterum cum Galenus inquit circa meridiem inſaniuiſſe Philiſcum, flauam bilem indicat. Nam initiò ex ſoranni ſentētia diximus, flauā bilem à tertia diei hora dominari, vſque in horam diei nonā. Ergo ſi quis corripitur ea ipſa diei parte, in qua humori alicui imperium tributum eſt, rationi conſentaneum eſt maximè, morbum proficiſci ab eo humore, qui tunc dominatum habere videtur. Quamquam hoc neceſſarium non eſt. Ex iis itaque Galeni & Hippocratis locis, aliquis Soranni ſententiam confirmare poſſet. Cæterum cum dicit ἡ πρόφασις τῆς νόσου, id eſt cauſa morbi erat, vocabulum prophaſis, interdum ſignificat cauſam, interdum primam & principalem cauſam, vt in tertio Epid. indicat Hippocrates, in qua certè ſignificatione hic ſumi puto: interdū cauſas falſas, vt apud Galenum videre licet in ſecundo & tertio de fracturis.

Prophaſis

ἐν Κυζίκῳ δὲ τὰς διδύμους θυγατέρας τεκοῦσαν μανῆναι φησὶν, εἶναι δὲ σκυθρωπὸν καὶ δύσθυμον τὸ εἶδος τῆς παρακοπῆς. σιωπῶσά τε γὰρ ἦν, καὶ οὐδενὸς πυνθομένη. μέλαινα δὲ ἦν αἰτία τῆς νόσου.

In Cyzico autem mulierem quandam, quæ gemellas filias pepererat, dicit delirauiſſe, atque delirationis ſpeciem taciturnā

& languescentem fuisse. Ipsa enim mulier taciturna erat, nec quemquam auscultabat: Nigra autem bilis morbi causa erat.

Ippocratis testimonio, sumpto ex tertio de vulgaribus morbis, sectione tertia, historia quartadecima, confirmat, à nigra bile delirationem esse. Quę omnia cũ facillima sint, longiore oratione non egent. Illud autem admonere volo, contextum gręcum cum ad manus meas peruenit, mendosum fuisse. Nam sic legebatur, ἐν κυζικῷ δὲ τὰς Διδύμου θυγατέρας τεκοῦσας μανῆναι, Cũ hunc in modum videatur legendũ. ἐν κυζίκῳ δὲ τὰς διδύμους θυγατέρας τεκοῦσας μανῆναι. Non enim διδύμος est nomen viri alicuius, sed gemellum sonat. Rem autem ita vt diximus habere, ex ꝓpriis Hippocratis verbis intelligere facile poteris, quę sunt. ἐν κυζίκῳ γυναικὶ θυγατέρας τεκούσῃ διδύμους. .i. In Cyzico mulier quædam filias parturiuit gemellas. *Error codicis græci.*

πυθίωνα δὲ τὸν παρὰ τὸ τῆς γῆς ἱερὸν οἰκοῦντα, λῆρον γενέσθαι μανέντα. φλεγματικὴ δὲ ἂν εἴη ἡ πρόφασις τοῦ πάθους.

Pythionẽ verò, qui habitabat iuxta Telluris templum, insanũ nugacem factũ esse.

In eo autem pituitoſa erat cauſa morbi.



Ippocratis denique authoritate à pituita delirationem eſſe probat. Hippocrates certè in tertio de vulgaribus morbis, ſectione prima, hiſtoria prima, cuiuſdam Pythionis, qui ad telluris templum habitabat, mentionem facit, ſed in tota ea hiſtoria non dicit ipſum fuiſſe inſanum nugacem. In eodem libro ſectione tertia, hiſtoria tertia, alîus pythionis meminit, ſed eum ſupra Herculeum templum decubuiſſe tradit. Hac etiam fortaſſe hiſtoria iniuria temporum caremus.

Ἐπὶ τούτοις δεῖ καὶ τὸν θεραπεύσοντα τὰς ποικιλίας τῶν νοσημάτων, προγινώσκειν τὰς αἰτίας αὐτῶν. ἣν γάρ τις ὡς Ἱπποκράτης λέγει, τὴν αἰτίαν τοῦ νοσήματος εἰδοίη, οἷός τ' ἂν εἴη τὰ ξυμφέροντα προσάγειν τῷ σώματι ἐκ τῶν ἐναντίων ἱστάμενος τῷ νοσήματι.

Poſt hæc oportet eum, qui curandas ſuſcipit varias morborum ſpecies, cauſas ipſorũ præcognoſcere. Quicunque enim, (vt Hippocrates inquit) morbi cauſam tenuerit, is morbo occurrẽs, poterit remedia occomodata ex contrariis, corpori adhibere.

Modico cognoſcendæ cauſæ morborum.



Vm eumdem morbum, nimirũ delirationẽ, à quatuor cauſis proficiſci poſſe oſtenderit, hîc Hippocratis teſtimonio, medicum cauſas morborum cognitas ac perſpectas habere oportere corroborat. Nam ſi medicus tenuerit, delirationem eſſe à ſanguine, alia profectò remedia adhibebit ad eam curandam, quàm ſi eſſet à flaua bile: & contra. Eodemq́ue modo ſi medicus cognouerit delirationem eſſe à nigra bile profectam, alia præſidia exhibebit, quàm ſi à pituita, atque etiam contra. Non ergo medico ſolum cognitę eſſe debent morborum cauſæ, ad morbos ſpecie inter ſe diſtinctos abigẽdos, verum etiam, ac multò etiam magis ad eumdem, præſertim cum à multis cauſis idem manare poſsit. Illam Hippocratis authoritatem cum multis aliis ex locis, tũ vel maximè ex libro de natura humana, & ex libro de veteri medicina Galenus aſſumpſit. Quid eſt quod Hippocrates ait ξυμφέροντα ἐκ τῶν ἐναντίων, id eſt conferentia, ſeu remedia accomodata ex contrariis? Illud eſt peruulgatũ maximè, cõtraria cõtrariis propulſari. Ideò morbi calidi, rebus frigidis: frigidi, calidis: ſicci humidis: humidi, ſiccis ſanãtur. Sed horum varia, multaq́ue genera cernuntur. Calidorum enim alia in primo ordine ſeu gradu, alia in ſecundo, alia in tertio, alia in quarto calida exiſtimantur. Et vnuſquiſque inſuper ordo, magnam latitudinem habet. Eorum enim quæ in primo ſunt calida ordine, alia magis, & alia minus calida ſenſu percipiuntur. Quæ de frigido, humido, atque ſicco dicen

Vnuſquiſque ordo primariũ qualitatũ magnam latitudinẽ habet.

da ſunt omnia. Quibus hoc modo conſtitutis, ſi frigidus, exempli gratia, morbus aliquis profligandus ſit, non quibuſuis erit vtendum remediis, ſed contrariis. Calidis ergo. Nõ quibuſuis calidis, ſed ex illis ſeligere oportebit ea, quę accomodata videbuntur. Nam ſi morbus fuerit maxime frigidus, maximè calida præſidia adhibenda erunt. Sin parum frigidus, parum calida. Similiter ſi morbus ſit ſiccus, non quælibet erunt adhibenda, ſed humida, & horum non quæuis, ſed idonea. Quod de reliquis dicendum eſt eodem modo. Quare corpori ægrotanti admouenda erunt remedia accomodata ex contriis.

καὶ ἐν τῷ περὶ νούσων, ὅταν περὶ ἰήσιος ἐθέλοιεν, ἐρωτᾶν τε ὀρθῶς, καὶ ἐρωτώμενος ἀποκρίνεσθαι, καὶ ἀντιλέγειν ὀρθῶς, καὶ ἐνθυμέεσθαι χρὴ τῇ μὲν ἀφ᾽ ὧν αἱ νοῦσοι γίγνονται τοῖσιν ανθρώποις πᾶσι.

Atque etiam in libris de morbis, inquit. Qui de ſanatione rectè inquirere velit, percontantique reſpondere, & contradicere rectè, eum hæc animaduertere oportet. Primum quidem à quibus omnes morbi hominibus fiunt.

CAuſas, à quibus morbi originem trahunt, ſtudioſè ac diligenter medico eſſe præcognoſcendas, altera Hippocratis authorita-

te, quæ eſt in ipſo ſtatim initio libelli de morbis, docet. In qua tria veluti lumina exprimuntur, quibus medicum ornatum eſſe oportet. Debet enim medicus rectè inueſtigare à quibus cauſis morbi ſint geniti: debet etiam eſſe eo ingenio, eaque rerum cognitione præditus, vt ei qui interrogat rectè ſciat reſpondere. Denique ſi ille malè quid proferat, eidem contradicere. In quibus, tum quia facillima ſunt, tum quia mille in locis & ab Hippocrate & à Galeno ſunt repetita, longa mihi hoc loco non eſt ponenda oratio. Hoc vnum dicam, hunc totum locum, non ſolum mendoſum ſed etiam conſpurcatum eſſe. Quem rectè quidem conuerti, ſed græca verba immutare nolui, ſatis eſſe iudicans, ſi vera Hippocratis verba hîc tranſcribantur, ex quarum inſpectione intelligi poterit facile, quantus ſit error huius contextus, quem modo interpretamur. Hippocratis ergo verba talia ſunt. *Medicus tribus ornatus eſſe debet.* *Error codicis græci.*

Ὃς ἂν περὶ ἰήσεως ἐθέλῃ ἐρωτᾶν τε ὀρθῶς, καὶ ἐρωτῶντι ἀποκρίνεσθαι, καὶ ἀντιλέγειν ὀρθῶς, ἐνθυμέεσθαι χρὴ τάδε. πρῶτον μὲν, ἀφ᾽ ὧν αἱ νουσι.

Γνωρίζονται τοίνυν αἱ τῶν νοσημάτων προφάσεις, πρῶτον μὲν ἀπὸ τῆς ἡλικίας. εἰ γὰρ μειράκιον τὸ νοσοῦν, μάλιστα ἂν ἀφ᾽ αἵματος νοσοίη, ὥς γε ἀνωτέρω δεδήλωται, καὶ ἑξῆς ὁμοίως.

Cognoſcuntur autem cauſæ morborum, primum quidem ab ætate. Si enim adoleſcẽs ægrotat, maximè ægrotabit à ſanguine, quemadmodum ſuperius demonſtratũ eſt.

Atque deinceps eodem modo.


Ausas eas, à quibus morbi proficiſci ſolent, medico etiam atque etiam, ſi rectè curaturus eſt, præcognoſcendas eſſe, admonuit: hîc varia multipliciaque ſigna & notas docet, quibus qui inſtructus erit, morborum cauſas facilè poterit internoſcere. Primum ergo ſignum ſumitur ab ætate. Nam ſi adoleſcentem ægrotare viderimus, ſiue febre, ſiue pleuritide conflictetur, iudicabimus, quatenus eſt adoleſcens, tales morbos à ſanguine manaſſe. Nam cum de ætatibus diſputatio ſuſcepta eſſet, demõſtrauimus in adoleſcentia ſanguinem reliquos ſuperare humores. Dixi, quatenus adoleſcens, quoniam quatenus ſe, vel nimia ciborum copia ingurgitauerit, vel frigida lauerit, non eſt neceſſe eum à ſanguine ægrotare. Cum verò Galenus inquit, atque deinceps eodem modo, indicat, quod dictum eſt de adoleſcentia, illud idem, & de iuuentute, & de ætate declinãte, & de ſenectute dicendum. Si enim iuuenis quatenus iuuenis, ægrotatione teneatur, eam à bile flaua eſſe cõiiciemus. Vbi adiecimus, illud quatenus iuuenis, quoniam iuuenis ratione vel ciborum, vel tempeſtatis, vel aliarum quarumdam rerum, non à bile, ſed ab alio aliquo humore ęgrotare poterit. Quæ & de ætate declinante, & ſenectute dicenda ſunt omnia.

Signum ab ætate.

δεύτερον ἀπὸ τῶν ὡρῶν, εἰ γὰρ ἐαρινὴ ἡ ὥρα, αἷμα μάλιστα τὸ λυποῦν.

Secundò à tempestatibus. Si enim verna fuerit tempestas, sanguis maximè dolore afficit.



SEcundum inquit signũ, quo morborum causæ medico perspectæ fieri possunt, sumitur à tempestatibus temporum. Nam si verna fuerit tempestas, & aliquis morbo conflictetur in ea, quoniã sanguis tum vigere solet, à sanguine eum morbum esse iudicabimus. Quamquam ver non soleat nouos morbos procreare, sed detegere eos, qui autumno, & hyeme generati sunt. Est tamẽ certo quodam modo probabile, ea tempestate morbos esse sanguineos, quemadmodum æstate biliosos, autumno melancholicos, atque hyeme pituitosos. Omnia hæc possem Galeni & Hippocratis authoritatibus comprobare: sed quoniam crebris sermonibus vsurpata sunt, & omnibus ferè cognita, non existimo longiorem orationem esse adhibendam.

τρίτον ἀπὸ τῆς διαίτης. τῶν γὰρ βρωτῶν καὶ ποτῶν ἄλλο ἄλλου χυμοῦ ποιητικόν ἐστι, καὶ ταῖς οἰνοφλυγίαις καὶ ἀδδηφαγίαις, αἱματικαὶ διαθέσεις παρέπονται. οὕτω διέγνω Ἱπποκράτης τὸν Σειλινὸν ἐκ ποτοῦ μαθὼν αὐτὸν νενοσηκότα. καὶ τὴν τοῦ κηπωροῦ γυ

ναῖκα κρύψεως γεγενημένης αὐτῇ ἐπιμηνίων. ἄφθονον γὰρ εἶχε τὴν πολυφαγίαν.

Tertio à victus ratione. Rerum enim esculentarum & poculentarum alia alius humoris procreatrix est: ac vini potationibus & voracitatibus affectiones sanguineæ comparantur. Sic Hippocrates cognouit Silenum. Didicit enim eum ex potu ægrotasse. Atque etiam olitoris mulierem, cui supreßio mensiũ facta erat. Se enim supra modum cibis ingurgitauerat.



Ertium, inquit, signum cuius beneficio medicus in cognitionem causarum morbos generantium peruenire potest, ducitur à vict⁹ ratione. Nam rerum esculentarum & poculentarum aliæ procreant sanguinem, aliæ pituitam, aliæ bilem, aliæ humorem nigrum. Quarum tabellas, quoniam superius accuratè veluti depinximus, ideo hoc tempore de ipsis nihil dicendũ putamus. Cũ Galenus inquit vini potationib⁹ & voracitatibus affectiones sanguineas comparari, hoc rectè intelligendũ est, siquidem ex nimiis vel generosi vini potationibus, affectiones pituitosas nasci, Galenus in li-

Ex vino quo modo gignantur affectiones sanguineæ.

bro de causis symptomatum memoriæ prodidit. Similes etiam ex voracitatibus manant. Est ergo hic locus hoc modo intelligendus, vini rubri & crassi, (tale enim facile in sanguinem conuertitur, cum vt sanguis fiat multa non egeat alteratione) potationibus, non multum mediocritatem excedentibus gignũtur sanguineæ affectiones & morbi, cum talibus potationibus magna sanguinis copia oriatur. Eodemque modo voracitatibus non quibuslibet, sed rerum earum, quę sanguinem procreant. Atque eę paulò modum transilire debent. Nam si non essent res quæ sanguinis sunt effectrices, vel si hæ essent, modum tamen longè multumque superarent, non sanguinem sed pituitam procrearent, vel aliquem alium humorem. Cæterum Ca. 2 ἀδδηφαγία, id est voracitas, est inexplebilis edendi auiditas, & quasi suburratio, vt Cælsus definiuit libro quarto. Illa autem Hippocratis authoritas, quam adhibet, ad confirmandum ex victus ratione, causas morborũ cognosci posse, est in primo de vulgaribus morbis sectione tertia, historia secunda. Cuius verba paulo ante adscripsi. Ex victus ergo ratione, Hippocrates cognouit Silenum, scilicet, sanguinea affectione esse oppressum, cum ex potu ipsum ægrotare didicisset. Quod autem ait de muliere olitoris, est in quinto de vulgaribus morbis, sectione prima, historia prima. Cognouit itaque Hippocrates eam sanguineo affectu laborare, eo quod se supra modum cibis ingurgitauerat. Ex ea enim ciborum ingurgitatione sanguis crassus & viscosus genitus erat, qui ob tales qualitates ora venarum ad matricem perue-

Ex voracitatibus quomodo gignantur morbi sanguinei.

Voracitas quid.

Ex voracitate quomodo supprimantur menses.

nientium obstruebat. Vnde mensium suppressio facta fuit. Atque ita in ea muliere, amplior sanguinis copia inerat, quàm oporteret. Quare eã à sanguine ægrotare ex victu ratione colligebat.

τέταρτον ἀπὸ τῆς χώρας, εἴγε θερμὴ, θερμότερα προξενοῦσα πάθη.

Quarto à regione. Si enim calida fuerit, calidiores inducit affectus.



Vartũ, inquit, signũ, quod plurimũ medicum iuuabit in morborũ causis cognoscẽdis, à regione sumitur. Qui enim calidas regiones incolũt, calidis & biliosis morbis solent conflictari: qui frigidas, frigidis & pituitosis: qui temperatas, sanguineis. Atque hoc quatenus tales habitant regiones. Nam ratione aliarum quarumdam rerum fieri potest, vt qui degunt vitam in regionibus calidis, pituitosis morbis laborent, & qui in frigidis, biliosis.

πέμπτον ἀπὸ τῶν ἐξανθημάτων. τὰ μὲν ἐρυθρὰ καὶ στρογγύλα αἱματώδη. τὰ δὲ πλατέα, φλεγματώδη, καὶ ἄλλως ἄλλα, ὥσπερ ἐν ἀφορισμοῖς δείκνυσιν, ἱδρωτήρια ἔαρος καὶ θέρους γινόμενα λέγων, ὡς ἀφ᾽ αἵματος καὶ χολῆς ὄντα.

Quinto ab exanthematis. Quæ enim rubra ſunt atque rotunda, ſanguinea ſunt: quæ autem lata, pituitoſa: & alio modo alia, quemadmodum in aphoriſmis oſtendit inquiens, ſudores vere & æſtate genitos, à ſanguine & bile eſſe.



QVintum inquit ſignum ad cognitionem cauſarum morbos efficiẽtium ſumendum eſſe ab exanthematis. Exanthemata autem græcis ſunt tumores, qui ſponte in cute effloreſcunt. Hoc autem appellati ſunt nomine, quòd turgentium ad florem gemmarum in plantis modo tumeant. Cæterum Galenus in nonum aphoriſmũ ſexti libri, qui inquit, latæ puſtulæ non admodum pruriunt, quem à Galeno hoc loco citari credo, duo exanthematum genera facit. Eius enim hæc verba ſunt. Sicuti tubercula omnia duplicem habent differentiam, quoniam quædam tendunt in acumen, & altum petunt: quædam ad maiorem extenduntur locum, non tamen in altum attollun tur, exanthemata nonnulla ſublimia, nonnulla lata fiunt. Sublimiora autem exanthemata atque tubercula à calidiore humore generãtur, humiliora autem à frigidiore. Quare ob duplicem cauſam lata exanthemata non admodum pruriunt. Difflantur enim in latitudinem extenta, & facientem ipſas humorem minus acrem habent. Qui-

Exanthemata quid.

Tubercula duplicata.

exãthemata rubra alba flaua olegcea

bus ſanè verbis duo genera exanthematum facit, quæ ſumuntur à figura, ſcilicet ſublimia ſeu acuminata, & lata. Hoc in loco eadem duo genera attinguntur, quippè cum per exãthemata rotunda, intelligantur ea quæ in acumen tendunt. Sed à colore quatuor exãthematum differentias ſumi poſſe indicat. Quædam enim ſunt rubra, & ſanguinem cauſam effectricem: habent quædam alba, & à pituita proficiſcuntur: quædam flaua, & bili ſuam originem referunt: nonnulla oleacea, & ab humore nigro, cuius colorem oleaceũ eſſe diximus initiò, manant. Tot enim differentias eſſe ſignificauit cum adiecit, & alio modo alia. Intelligendum eſt autem Hippocratem tertio de morbis vulgaribus alio nomine ea appellaſſe ἐκθύματα, ἀπὸ τῶ ἐκθύειν, hoc eſt ab erumpendo, quòd ſcilicet ſpontè è cute erumpant in eáque floreant, vnde à nonnullis efflorescentiæ ſunt nominatæ. Verba porrò illa, Quemadmodum in aphoriſmis oſtendit, inquiens, ſudores vere & æſtate genitos, à ſanguine & bile eſſe: difficultatem coniunctam ita habent, vt irrepſiſſe huc videri poſsint. Nam illud, quemadmodum in aphoriſmis oſtendit, poteſt referri ad proxima antecedentia, & ad proxima conſequentia verba. Si ad antecedentia referãtur, ſenſus quidem perſpicuus eſt, ſed illa verba in aphoriſmis apud Hippocratem non extant. Dicit quidem Hipp. exanthemata lata non admodum prurire, non autem rubra & rotunda eſſe ſanguinea, lata pituitoſa. Niſi forte aphoriſmus aliqu s quo hæc continerentur, temporum iniuria exciderit. Sin verò ad ſequentia pertineant, duplicem difficulta

Exanthemata rubra, alba flaua, oleacea

tem habent. Alterã quia talia in aphoriſmis haud cernuntur, niſi fortè exciderint. Durandus tamen Pierochius Doctor medicus amicus meus aliquid tale in margine cuiuſdam codicis græci manu ſcripti, ſe aliquando vidiſſe mihi narrauit. Alteram, quia etſi reperirentur, attamen ad rem facere non videntur. Niſi fortè dicamus ſimilitudinem quandam eſſe, eamque ſic tractandam. Quemadmodum ſudores qui fiunt vere ſunt à ſanguine, & qui fiunt æſtate ſunt à bile (vere enim ſanguinem dominari, & æſtate bilem, ſuperius demonſtrauimus) adeò vt ex ſudoribus poſsimus cognoſcere, quiſnam in corpore humor abundet, ita ex exanthematis quiſnam in corpore humor imperium teneat, coniicere poſſumus.

καὶ μὴν δὴ καὶ ἀπὸ τοῦ χρώματος, ὥσπερ ἐπὶ τοῦ χυμοῦ ἐπικρατοῦντος, οὕτω καὶ τοῦ νοσήματος διαγινώσκεται.

Poſtremò à colore, quemadmodum humoris dominatus, ſic & morbi cauſa cognoſcitur.



POſtremum ſignum eorum quæ in hoc libro à Galeno commemorantur, à colore eſſe ſumendum admonet. Nam vt ex colore coniicimus quiſnam in corpore dominetur humor, ita ex

eodem colligere possumus causam morbi, Humor enim exuperans, morbi causa putandus est. Si quis ergo laboret, & rubore sit tinctus, à sanguine eum morbum esse præsagiemus. Si candore, à pituita: si flauo colore, à bile: si oleaceo, ab humore nigro: si mixto colore ex illis, à mixtis inter se humoribus. Porrò cum legeretur, ὥσπερ ἐπὶ τοῦ χυμοῦ, illud ἐπὶ redundare videtur. Hæc pauca signa à Gale. hoc loco ponũtur quoniã hisce rẽ susceptã satis explicare poterat, nec oĩa hîc instituerat psequi. Ego autẽ ea q̃ afferuntur tũ ab Hippocrate in libris de popularibus morbis, potissimũ tertio, sectione tertia, & aliis penè innumerabilibus locis: tum à Galeno cum multis aliis in locis, tum vel maximè in libris de locis affectis, & arte parua hoc loco commemorare possem. Sed hęc alterius sint & instituti & temporis.

Error codicis græci.

ἔστι δὲ καὶ αὕτη οὐδὲν ἧττον τῶν μεγίστων διαγνώσεων ἀκριβεστάτη, καὶ Διογένης, καὶ τοῖς κατ' ἐκεῖνο καιροῦ σοφοῖς, ὡς μαντική τις νομιζομένη. πολλὴν γὰρ οἱ ἄνδρες ἐκεῖνοι περὶ χρωμάτων ἐποιήσαντο λόγον ταῖς διαφοραῖς αὐτῶν, καὶ τὰ νοσήματα μεριζόμενοι, ἐρυθρόχρους τε τοὺς αἱματώδεις, καὶ πυρόχρους, οἷς ὁ πικρὸς πλεονάζει χυμός. καὶ μελανόχρους, οἷς μέλαινα, καὶ λευκόχρους τοὺς φλεγματίας ἀποκαλοῦντες. ἐρυθρόχροά τε καὶ πυρόχροα τὰ ἐπὶ τούτοις νοσήματα, καὶ μελανόχροα, καὶ λευκόχροα λέγοντες.

Est autem iudicium illud, quod à colore sumitur, non minimum, sed eorum iu-

diciorum quæ maxima ſunt exquiſitiſſimum: atque etiam & Diogeni, & cæteris illius ſeculi ſapientibus, tanquam ars quædam diuinandi habebatur. Nam homines illi de coloribus longum habuerunt ſermonem, atque pro eorumdem differentiis partiti ſunt morbos: rubricolores vocantes, ſanguineos: & flauicolores eos, in quibus amara bilis imperium tenet: & nigricolores, in quibus nigra: albicolores, pituitoſos: Atque etiam morbos ab ipſis humoribus profectos, rubricolores, flauicolores, nigricolores, & albicolores nominabant.



Ollatio eſt inter iudicia, quę ſumuntur à rebus ſuperius commemoratis, facta ex veterum opinione. Illi enim voluerunt iudicium illud, quod à calore ſumitur, non modò non eſſe omnium minimum, ſed eorum iudiciorum, quæ maxima ſunt, exquiſitiſsimum atque certiſsimum. Nullum enim aliud, eorum ſententia, iudicium erat tam certum, tamque exquiſitum, quo, iudicium à coloribus ſumptum, certius exquiſitiuſque non eſſet. Proinde & Diogeni, &

Color veteribus erat prescientia futurorum.

cæteris, ſapientibus, qui eo ſeculo floruerunt, tam quam μαντική id eſt ars diuinandi, ſeu præſcientia ſeu diuinatio, ſeu præſenſio rerum futurarum habebatur. Ob eamq; cauſam in colorum cognitione diu multumque fuerunt occupati, atque in eorum tractatione benè longam orationem poſuerunt, & ex colorum differentiis, tũ morbos ipſos ſunt partiti ſunt, tũ homines, humorum habita ratione. Nam ſanguineos appellabant rubicolores: eos autem in quibus amara bilis ſuperaret, flauicolores: eos verò in quibus nigra, nigricolores: in quibus pituita, albicolores: talibus enim nominibus humores in hominum corporibus dominantes, ſe ſignificare putabant. Verum & ipſa eadem nomina, morbis omnibus accomodabant. Nullus namque erat morbus, quem aliquo horum quatuor nominũ non vocitarent. Omnes enim morbi, eorum ſententia, erant vel rubricolores, vel flauicolores, vel nigricolores, vel albicolores. Hiſce ego nominibus & in conuerſione, & in explicatione volui vti, quoniam græcis reſpondent maximè, & rem, de qua veteres agebant, maximè planam faciunt. Notandum verò hoc loco eſt, vbi legitur, καὶ τὰ νοσήματα μεριζόμενοι, id eſt, & morbos ſunt partiti, videri ita eſſe legendum καὶ τὰ νοσήματα, καὶ τοὺς ανθρώπους μεριζόμενοι, id eſt, & morbos & homines ſunt partiti. Nā nomina quæ ſequuntur, tale quid deeſſe, & temporum diuturnitate excidiſſe, indicant.

Veteres morbis accomodabant nomina hominum quatenus ab humore exuperante vocantur.

In codice græco videtur aliquid deſiderari.

οὐκ οἶδα ἀνθ' ὅτου τὰ πολλὰ τῆς τέχνης καταλιπόντες μαρτύρια, κἀκεῖνα μᾶλλον ἃ δύναται τοῦ νοσήματος τὴν ἀκριβῆ διάκρισιν παρασχεῖν, τοῖς χρώμασι μόνοις τὴν ἐντελῆ διάκρισιν τῆς ἀσθενείας ἀνέθεντο.

Verum nescio quam ob causam multa artis prætermittentes testimonia, quæ illa quidem plurimum possunt morbi exquisitum discrimen afferre, solis coloribus perfectum discrimen imbecillitatis, acceptum retulerint.



MOdesta est quædam ac philosophica reprehensio, directa in veteres. Certo enim quodam modo Galen⁹ admiratur, quam ob causam tanti illi viri, multa artis medicæ prętermittentes testimonia & signa, quæ illa quidem plurimum possunt morbi, non solum exquisitum discrimen afferte, seu indicare quomodo morbus ab aliis morbis differat ac distinguatur, verum etiam quam magnus sit ipse, & periculi plenus, atque solis coloribus perfectum discimen imbecillitatis & morbi, acceptum retulerint. Quamquam enim ex colori bus nonnulli morbi posint iudicari esse vel à sanguine, vel ab aliishumoribus, attamen quantum e-

grum imbecillum efficiant morbi, & de ſuo habitu naturali deiiciant, non ex colore, ſed ex pulſu iudicabimus. Eodemque modo quantum animalis facultas malè affecta ſit, non ex coloribus, ſed ex aſpectu, ex auditu, aliiſque ægrotantis ſenſibus cognoſcemus. Pręterea Galenus in arte parua inquit quendam habitu pituitoſo præditum, magnam bilis flauæ copiam euomuiſſe. Solus itaque color, non ſemper tantum virium habet, vt in hominũ corporibus exundantem humorẽ indicare poſſit.

Finis.

Tempus, vt æstiuum

Causæ ortus & increméti bilis sunt hæ.

Facienda

Motus animi.
Cura, Ira,
Furor, Co
Mœror, D
Impetus ar
frequente

Motus corporis.
Ambulati
Cursus
Saltus
Exercitati
q̃uisnimia

Vigiliæ.

Inedia vnius diei, mult magis bidui, tridui, in mò pastus alicuius co suetì omissio. 8. metho

Educenda, vt omissa consuetudi bilem purgandi spontanea, vel me ca, vomitu, deiectione, vrinis, sudo bus. omittere enim hæc, bilem co sam gignit.

Admouenda.
Olea calida sicca quibus i gitur corpus
Vnguenta similia
Aer ambiens calidus sic
Balnea aquarum calefaci tium & siccantium.

Cibu

Potu

gitatio,
olor,
nimi vehemẽtes,
s,longi

o,lõga , vehemẽs


Naturalis .

Herbæ — Nasturcium, T
Synapi, Maiora
Rorismarinus,
Satureia, & herb
calidæ & siccæ.

Herbarum.
Folia, vt quę sunt comme
Semina: Anisi, Fœnicul
Cumini, Carei
Ameos, Amo
Apij, Dauci,
omnia calida &
Fructus: Caryophyllum
Nux moschata
Piper: longun
album
nigrum
Fũgi boleti & F
gnunt cholerar
Flores: Anethi, Lauan
Rorismarĩi. M
Croci, Origani
Stæchadis
Radices: Raphanidis, C
Pastinacę, Por
Alij, Cæpæ.
Acori, Costi,
herbarum supe
memoratarum

o
.
o
n-
n-
d.
ne
di
ri-
oio
nũ
cus
en-
s.

Arte paratus.
Partes alimentorum vstæ. Coquend
Elixando
Assando
Frigendo
Crustũ: Panis
Placentarum
Pars carnium extima nimis assando
Cortex fructuum assatorum
Oua frixa



TABVLA PRIMA

Causæ ortus & increméti bilis sunt hæ.

- Temperamentum calidum & siccum
  - Ventriculi
  - Intestinorum
  - Venarum mesaraicarum
  - Hepatis
  - Cordis
  - Cerebri.
  - Totius denique corporis.
- Ætas, vt iuuentus omnium ætatum biliosissima, libro secundo fe. ca. I.
- Naturæ proprietas. Quidam enim ex naturę proprietate quadã, largã bilẽ gignũt. li. artis medi. c. 74.
- Tempus, vt æstiuum
- Facienda
  - Motus animi.
    - Cura, Ira,
    - Furor, Cogitatio,
    - Mœror, Dolor,
    - Impetus animi vehemẽtes, frequentes, longi
  - Motus corporis.
    - Ambulatio, lõga, vehemẽs
    - Cursus
    - Saltus
    - Exercitatio quisnimia.
  - Vigiliæ.
  - Inedia vnius diei, multo magis bidui, tridui, immò pastus alicuius consueti omissio. 8. method.
- Educenda, vt omissa consuetudine bilem purgandi spontanea, vel medica, vomitu, deiectione, vrinis, sudoribus. omittere enim hæc, bilem copiosam gignit.
- Admouenda.
  - Olea calida sicca quibus inũgitur corpus
  - Vnguenta similia
  - Aer ambiens calidus siccus
  - Balnea aquarum calefacientium & siccantium.
- Sumenda.
  - Cibus.
    - Naturalis.
      - Animalia.
        - Volatilia
          - Struthius
          - Passeres
          - Et omnia calida & sicca.
        - Pedestria Calida & sicca
      - Partes animalium. Ventriculus struthij
      - Quæ fiunt ab animalibus, vt mel.
      - Herbæ
        - Apium, Pulegium
        - Gingidium, Calaminthe
        - Sium, origanum
        - Nasturcium, Thymus
        - Synapi, Maiorana
        - Rorismarinus, Hysopus
        - Satureia, & herbæ omnes calidæ & siccæ.
      - Herbarum.
        - Folia, vt quę sunt commemorata.
        - Semina
          - Anisi, Fœniculi
          - Cumini, Carei
          - Ameos, Amomi
          - Apij, Dauci, & semina omnia calida & sicca.
        - Fructus
          - Caryophyllum
          - Nux moschata
          - Piper
            - longum
            - album
            - nigrum
          - Fũgi boleti & Pepones gignunt choleram morbũ.
        - Flores
          - Anethi, Lauandulæ
          - Rorismarĩi. Melissophili
          - Croci, Origani
          - Stæchadis
        - Radices
          - Raphanidis, Cari
          - Pastinacę, Porri
          - Alij, Cæpæ.
          - Acori, Costi, & omniũ herbarum superius commemoratarum.
    - Arte paratus.
      - Partes alimentorum vstæ.
        - Coquendo
        - Elixando
        - Assando
        - Frigendo
      - Crustũ
        - Panis
        - Placentarum
      - Pars carnium extima nimis assando
        - Salsa
        - Amara
        - Acris
      - Cortex fructuum assatorum
      - Oua frixa
      - Lactis portio imæ sartagini affixa
      - Sal
      - Salsa omnia, siue herbæ, siue animalia
      - Amara
      - Acria
  - Potus calidus sic.
  - Medicamentum calidum & siccum.

Causæ ortus & incrementi pituitę sunt hæ.

- **Temperamentum frigidũ & humidũ.**
  - Ventriculi
  - Intestinorum
  - Venarũ mesaraicarum
  - Hepatis
  - Cordis
  - Cerebri,
  - Totiꝰ deniq; corporis
- **Ætas**
  - Infantia & pueritia tum motibus inordinatis, tũ inordinato victu, sunt pituitosæ.
  - Senectus frigida, & excrementis humida.
- **Naturæ proprietas.** Nonnulli. n. quadã naturæ proprietate largam pituitam gignunt.
- **Tempus,** vt hybernum.
- **Faciẽda**
  - Motꝰ, vt exercitatio mox à pastu pleniore.
  - Quies
    - animi, vt nihil mẽte agitare.
    - Corporis, vt nihil corpus exercere.
  - Sõnus diuturnus, pręsertim mox à pastu pleniore
  - Victus ratio tẽperata, sed modum excedens, vt frigida & humida
  - Vitæ conditio sedẽtaria.
- **Educenda,** vt omissa consuetudine pituitam purgandi spõtanea, vel medica, vomitu, deiectione, vrinis, sudoribus. Omissa enim consuetudine pituitę educendæ, copiosior pituita generatur.
- **Admouenda.**
  - Olea refrigerantia & humectantia: vnguenta similia.
  - Aer ambiẽs frigidus humidꝰ.
  - Balnea aquarum refrigerantium & humectantium.
- **Sumenda**
  - **Cibus**
    - **Naturalis.**
      - **Animalia**
        - Volatilia omnia quę nimis recentia sunt
        - Pedestria
          - Porcelli
          - Agni.
          - Testudines
          - Limaces, q̃q̃ serpere vidẽtur.
        - Aquatilia
          - Cetacea
            - Balena
            - Thunus
            - Delphinus
          - Duræ carnis
            - Mullus
            - Canis
            - Congrus
            - Balena
          - Ostracoderma
            - Ostreæ
            - Purpuræ
            - Buccinæ
          - Malacostraca
            - Cancri
          - Malacoderma
            - Polypodes
            - Sæpia
          - Chartilaginosa
            - Rana
            - Scatina
          - Squammata
            - Mugilis
            - Cyprinus.i. carpa
      - **Partes animalium**
        - Pedes, Rostra, Aures
        - Vẽtriculus, Intestina, Pulmo
        - Glandulæ duræ non coctæ
        - Cerebrũ, Dorsalis & ossalis Medulla, Adeps, Pinguedo
        - Vterus, Nerui, Tendones
      - **Quę fiũt ab aĩalibus.**
        - Albumen ouorum
        - Lac omne præsertim animalium frigidorum.
      - **Herbarum.**
        - Folia
          - Maluæ, Atriplex, Blitum
          - Portulaca, Lactuca
          - Beta alba & nigra
          - Brassica. Cichorium
          - Endiuia. Scariola
          - Oxalis', Semperuiuũ omne.
          - Sonchus, vterque. Spanachia
          - Viola
        - Semina
          - Melonũ, Cucurbitę, cucume.
          - Citruli, Lactucę, Portulacę & omniũ dictarum herbarum.
        - Fructus
          - Vuæ non maturæ, Mora
          - Cerasa, Persica, Pruna
          - Poma. Fungi, Cucurbita,
          - Cucumer, Phaseoli, Citreũ,
          - Arantia,, Limones, Melon.
          - Fructus omnes frigidi humi.
        - Flores
          - Cichorij, Ephemeri
          - Nimpheæ, Persicorum
          - Rosarum, Violarum.
        - Radices
          - Rappa, Bulbi, Cichorij & omnes refrigerantes & humectantes.
    - **Arte paratꝰ**
      - Panis siligni tes, & semidalites, parum & fermentatus & pistus
      - Panes azymi
      - Triticum in aqua elixum
      - Opus denique omne pistorum, vt lagana & similia
  - **Potus.**
    - Vinum album, tenue
    - Vinum nouum
    - Vinum pomatium
    - Vinum piratium
    - Aqua
    - Ceruisia crudior aquosior
    - Alica seu ptisana triticea sine aceto & sale.
  - **Medicamenta frigida humida**

Tempus frigidum ſiccum.

Admo uenda. Olea refrigerãtia & ſiccãtia
Vnguenta ſimilia
Aer ambiens frig. ſiccus
Balnea refrig. & ſiccantia

Educenda, vt omiſſa conſuetudine humorem nigrum purgandi per hemorroidas venas, deiectionem, menſes, vrinas.

Nutritio fœtus, hic .n. portionem ſanguinis optimam trahit, deteriorem & fœculentam relinquit.

Sumenda

Cibus

Naturalis.

Par

Qu

He

Arte parat⁹

Panis triti

Panis

Cond

Potus

Zytum
Curmi ex hord

gitatio,
olor,
nimi vehemētes,
s,longi
o,lōga , vehemēs
o
.
ro
n-
n-
d.
ne
di
ri-
oio
nū
cus
en-
s.


Naturalis.

Herbæ — Nasturcium, T / Synapi, Maiora / Rorismarinus, / Satureia, & herl / calidæ & siccæ.

Herbarum.
- Folia, vt quę sunt comme
- Semina: Anisi, Fœnicul / Cumini, Carei / Ameos, Amo / Apij, Dauci, / omnia calida &
- Fructus: Caryophyllum / Nux moschata / Piper: longun / album / nigrum / Fūgi boleti & F / gnunt cholerar
- Flores: Anethi, Lauan / Rorismarīi. M / Croci, Origani / Stæchadis
- Radices: Raphanidis, C / Pastinacę, Por / Alij, Cæpæ. / Acori, Costi, / herbarum supe / memoratarum


Arte paratus.
- Partes alimentorum vstæ. Coquenc / Elixando / Assando / Frigendo
- Crustū: Panis / Placentarum
- Pars carnium extima nimis assando
- Cortex fructuum assatorum
- Oua frixa

TABVLA TERTIA



- Causæ ortus & incrementi sanguinis sunt hæ.
  - Temperamentum moderatum seu calor temperatus.
    - Ventriculi
    - Intestinorum
    - Venarum mesaraicarum
    - Hepatis
    - Cordis
    - Cerebri.
    - Totius denique corporis.
  - Ætas, vt adolescentia sanguinis boni plurimum fœcunda. Hipp. lib. 3. prog. 14. & alibi passim.
  - Naturæ proprietas. Quidam enim quadam naturę proprietate, magnam sanguinis copiam gignunt.
  - Tempus, vt vernum. Hip. libro. 3. aph. 20. & de natura humana.
  - Facienda
    - Conditio vitæ libera, hilaris, parũ anxia
    - Exercitatio tempestiua & moderata
    - Somnus mediocris, aut paulo longior
  - Educenda, vt omissa vacuatione sanguinis vel spontanea vel medica.
  - Admouenda.
    - Olea temperata
    - Vnguenta temperata
    - Aer ambiens temperatus
    - Balnea temperata
  - Sumenda.
    - Cibus.
      - Naturalis.
        - Animalia
          - Volatilia
            - Gallinæ, Galli gallinacei
            - Phasiani, Perdices.
            - Francolini adolescentes
            - Columbæ, Turdi, Turtures
            - Merulæ. Alaudæ,
            - Coturnices. Sturnus.
          - Pedestria
            - Porci ætate florentes exercitati, & idoneis pabulis nutriti, & elixi optimè
            - Caro veruecum ętate florentium bene nutritorum.
            - Vituli, Capreoli, lepusculi
            - Cuniculi adolescentes
            - Cerui & alia nondum per ętatem exsiccata immodicè.
          - Aquatilia
            - Mollis carnis
              - Gobio
              - Perca
              - Vmbra
              - Asellus
            - Saxatiles
              - Scaro
              - Perca
            - Littoralis
              - Gobio
            - Pelagij
              - Asellus. i.
              - Merlucius
        - Quę fiũt ab animalibus
          - Vitelli ouorum
          - Lac optimum si benè in ventriculo coquatur.
        - Partes animalium.
          - Sanguis suum
          - Hepar suum, nutrito porco ficubus
        - Herbarum.
          - Folia
            - Lactucę, comparatione ad reliqua olera,
          - Fructus
            - Vuæ benè maturæ, itéque ficus, comparatione tamé ad reliquos fructus.
      - Arte paratus, vt panis siligniteus, & proximus illi semidalites benè fermẽtatus, modicè salsus, probè pistus, coctus mediocriter in clibano.
    - Potus, vinum rubrum, subcrassum.

TABVLA QVARTA



- Causæ ottus & incrementi humoris nigri sunt.
  - Temperamentum frigidũ & siccũ vel natiuũ vel acquisitũ
    - Ventriculi
    - Intestinorum
    - Venarũ mesaraicarum
    - Hepatis
    - Lienis cũ imbecillitate
    - Cordis
    - Cerebri,
    - Totiꝰ deniq; corporis.
  - Naturæ proprietas. Sunt enim nõnulli ex natura proprietate humorem nigrum gignẽtes.
  - Ætas, vt senectus, quæ per se est frigida & sicca, ratione verò excrementorum humida
  - Tempus frigidum siccum.
  - Admouenda.
    - Olea refrigerãtia & siccãtia
    - Vnguenta similia
    - Aer ambiens frig. siccus
    - Balnea refrig. & siccantia
  - Educenda, vt omissa consuetudine humorem nigrum purgandi per hemorroidas venas, deiectionem, menses, vrinas;
  - Nutritio fœtus, hic .n. portionem sanguinis optimam trahit, deteriorem & fœculentam relinquit.
  - Sumenda
    - Cibus
      - Naturalis.
        - Animalia
          - Pedestria
            - Capra, Hircus
            - Boues, Taurus magis
            - Apri, Cerui veteres
            - Lepores senes, Asinus
            - Camelus, canis, vulpis
          - Sẽrpẽtia
            - Limaces
          - Aquatilia
            - Crustata
            - Testata
            - Cetacea
        - Partes animalium
          - Lien
          - Sanguis
          - superiorũ animaliũ
        - Quæ fiunt ab animalibus. Caseus vetus.
        - Herbarũ
          - Folia
            - Brassicæ corpus
          - Germina tenera.
            - Terebinthi
            - Lentisci
            - Rubi
            - Canis rubi
          - Fructus
            - Cydonia, Mespila
            - Sorba, Nux regia
            - Nux pontica.i.auellana
            - Lens quouis modo parata
      - Arte paratꝰ
        - Panis furfuraceus & ater etiam ex laudatissimo tritico
        - Panis ex
          - typha seu secali
          - vitia
        - Condita omnia sale
    - Potus.
      - Zytum
      - Curmi ex hordeo putrefacto
      - Vinum crassum nigrum
      - Ceruisia & eius genera

